5

D. T. O. M. A.

DISCEPTATIO MEDICA

DOGMATICO-RATIONALIS

DE

FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS IN GENERE ET SPECIE,

Quam

In Alma & Celeberrima ac perantiqua Anterioris Auſtriæ Friburgô Conſtantiam translata Univerſitate

CONSENSU ET AUCTORITATE

INCLYTI COLLEGIJ MEDICI

PRÆSIDE

Viro Prænobili, Excellentiſſ: atque Experientiſſ:

D. JOAN. JACOB. FRANCISCO VICARIO Phil. & Med. Doctore,

Ac Inſtit: Profeſſore Ord. p. t. inclytæ Facultatis Med. Decano, nec non Academ: Nat: Curioſor: Membrô, Fautore ac Patrono ſuo Colendiſſimo,

PRO LICENTIA

Doctorales in Medicina honores legitimè conſequendi publicæ Doctorum ventilationi ſubmittit

Nobilis, Ornatiſſimus & Doctiſſimus Dominus

JOSEPHUS GRESSER VVilenſis

Helvetus Medicinæ Studioſus

Ad diem 10. *Iulij Anno M. DC. XCVII.*

CONSTANTIÆ

Typis Franciſci Xaverij Straub Univerſit. Typ.

PAULUS AMMANNUS Profeſſor quondam publicus Lipſienſis in ſuo conſilio de inſtitut: med: emendatione lib. 5. p. 1. ſec. 1. c. 1. de methodo medendi:

Quæ neceſſitas hîc (*in methodo medendi*) *inſiſtendi* *GALENI* veſtigijs; vel unde hauſit *GALENUS* hanc methodum? ex proprio iudicio: ſi hoc licuit *GALENO*, cur non & mihi vel alij Medico? præprimis ob falſiſſimas hypotheſes, quibus velut augiæ ſtabulum abundè ſcatet, pro cuius repurgatione foret opus *œcumenicô Medicorum concilio*, quod optandum quidem, ſed non ſperandum erit.

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

ILLUSTRISSIMO
ET
REVERENDISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
AC
Domino Domino

LEODEGARIO

Celeberrimorum & Exemptorum Cænobiorum
S. S. Galli & Joannis Thuræ Vallis
ABBATI,
ET
Regij Ordinis Annunciatæ Virginis Celſiſſimo
Equiti &c. D. Domino ſuo Clementiſſimo

*T*Emeritatis fortaſſe arguar, PRINCEPS ILLUSTRISSIME, *quòd lucubrationem hanc meam de febribus Intermittenttibus medicam, dogmatico-Rationalem ad vultus tuos (quos ita coli Divina gratia voluit) ſiſtam, tuumque patrocinium ſupplex implorem, & quidem fortè multorum calculò non immeritó, dum etenim* TE *columen Religionis, ſtatorem tranquillitatis, ſplendorem familiæ, Patrem Patriæ, Eccleſiæ ſydus, Ordinis ſacri Phæbum, S. R. I. Principem, Equitem Regij Ordinis Annunciatæ*

Vir-

Virginis Celſiſſimum velut ſydus illuſtriſſimum intueor ac contemplor, ecce caligant occuli, obnubilatur viſus, artus tremunt ac contremiſcunt, totique tam le-videnſe opuſculum TIBI *dicare ac conſecrare reformidant: At erigunt animum non levia incendicula ad hoc, quod temerarium videtur, auſum; invitat namque exporrecta tua frons, vultúsque ſerenitas, quâ omnium animos magnetis more ad te trahis; incitat amor, quô eximiè hactenus omnes probos maximè litteratos proſecutus es, ultroque etiam proſecuturus; mandat hoc tanta laus & gloria, quam initiò ſtatim ſuſcepti, parvóque tempore primùm ſuſtentati Regiminis* TIBI *comparaſti, quantam exemplò vix agnovimus, quámque poſteritas, quum audiet, mirabitur; iubent denique innumera & tua & Anteceſſorum tuorum (quos adhuc in Te ex viribus veneramur) in familiam noſtram* Greſſerianam *collata beneficia & officia (quæ cùm tacere non poſſint, ſic patere univerſo orbi, & ad ultimam uſque poſteritatem tranſire geſtiunt) theſes haſce tenuiſſimas tanquam humillimæ gratitudinis ſpecimen pro teſſera quanta quanta* CELSITUDINI *tuæ dicare, dedicare, & conſecrare. Suſcipe igitur* PRINCEPS ILLUSTRISSIME, MECÆNAS *Gratioſiſſime, verè litterarum Parens, columen noſtrum theſium mearum de febribus intermittentibus, licet conſpectu tuo minùs dignarum patrocinium, atque versùs obtrectantium calumnias gratioſiſſimè tuere, tuis enim amplexibus (& hoc quoque votó damnet me Deus) exceptæ ac defenſæ,*

nil

nil ſpumantis contra novam quaſi hanc methodum; recentioremque doctrinam invidiæ horrebunt monſtra, lucémque hanc potentiùs ferent, etiamſi TIBI, *ſi* SOLI *placuerint: quód ſi Tutor ac Benefactor noſter munificentiſſime humillimam iſthanc (quippe & hortulanus poma, aut exilem floſculorum faſciculum devoto animó offerens ſæpe ſæpius gratior eſt, quàm qui*

argenti pondus & auri

Largitur) meam diſceptationem benigniſſimo & gratioſiſſimô vultu reſpexeris, ſpondeo & mihi, quám ſubmiſiſſime rogito, ulteriorem gratiam, quam ſine exemplo Majores mei jam experti ſunt; ego verò unà cum ſubiectiſſima TIBI *Familia* Greſſleriana *pro tam Principe præſtita gratia cœlum indefeſſis onerabo votis & precibus, ut Deus Remunerator largiſſimus vitam & ſalutem* (TE PRINCIPE *dignam*) *prolixam, regimen quietum, Domus* S.S. GALLI & JOANNIS *Thuræ vallis ab omnibus adverſitatibus & febrilibus æſtuationibus tutas ac liberas, vires fortes, populum probum ac felicem munificentiſſimè impertiatur, & tandem etiam ut, quæcunque tam bono* PRINCIPI *unquam exoptare licet, in* EUM *quàm largiſſimè effundat, quod iterum iterumq; exopto & apprecor, ac me infimum clientem denuo in catenatas gratias humillimè commendo, qui ſum.*

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI
MEI PRINCIPIS

Cliens devotiſſimus

Joſephus Greſſer!

PRÆFATIO

EXpectâſti forſan, benevole Lector, â me utpote ab *ACADEMIÆ NATVRÆ CVRIOSORVM CÆSAREO-LEOPOLDINÆ* membrö neſcio quam novam materiam medicam Curioſam, quæ animum tuum rerum curioſarum (ut nunc huius genius eſt ſæculi) avidum exatiaret, at nunc oggeris mihi, me duntaxat ſiſtere tibi de febribus intermittentibus diſcurſum antiquiorem quàm chaos, materiam hanc non ita pridem in hoc ipſo loco ſtrenuiſſimè eventilatam eſſe, crambem idcircò me recoquere, quæ nauſeam Iſraeliticam pareret, mihiquè non immeritò applicari poſſe illud Poetæ:

manſiſſes meliùs, chare Iacobe, Domi.

at prævidi hæccine, & cùm prævisa tela minùs feriant, ideo & iſta me nec tangunt, nec movent: verùm quidem eſt, quamlibet novitatem medicam rationalem, non tantùm eximiè mentem meam ſerenare & delectare, ſed & econtra me cuiuslibet novitatis curioſæ (ut in bene præfatæ inclytæ *ACADEMIÆ GERMANICÆ* &c. cuius lemma eſt *nunquam ocioſus* quarundam Decuriarum annis reperire eſt) mirùm quantùm cupidum eſſe; at verö, quamdiu Profeſſuræ Medicæ in hac alma Vniverſitate vaco, cenſui, me præprimis alijs natum, & oportere me potiùs Auditorum profectui & commodo (uti & modò fit) prodeſſe, quàm curioſitati (cui tamen litandi nonnunquam interſtitia conceduntur) meæ ſolùm firmiùs agglutinatum eſſe, ſatiùsque eſſe alijs inſerviendo etiam conſumi, quam mihi ſoli, meoque commodo, ut ſubinde evenit, invigilare, & penes alijs plurimis ſordeſcere; Materia hæc quidem vetuſta eſt, quid

tum

tum? etiam vetuſtum eſt, quód commeſtus ſit panis, & tamen cottidie commedimus adhuc, illa tamen ea eſt, quæ hactenus nondum eſt exhauſta, & uſque dum adhuc reſtat aliquid (etiam novi) deſuper in medium proferre, quod & in his noſtris theſibus invenies; ſed petis, quid novi ergo? dicam; methodus eſt *primò*, quæ hactenus tam exactè, tam diſtinctè, & tam dilucidè (quemadmodum hucuſque eâ in ſcholis ad reſolvendos caſus medicos uſi fuimus) vix quidem lucem vidit, ea enim eſt, quæ non tam eſſentiam febrium, diagnoſin, genus, differentias, ſubiecta, cauſas omnes, futurum eventum, curam, atque omnes in ordine ad hanc indicationes & ex his hauſta auxilia ex pharmacia Chyrurgia, & Diæta declarat, ſed & quæ rigorem materiæ ad ſanguinem propulſionem & calorem novo more per motum localem, ac alia plura per mechaniſmum hoc tempore in Medicina prævalentem (quod in noſtris ſcholis hactenus nemo præſtitit) optimè ad captũ explicat, rationẽ que longê optimã facili negocio febres averruncandi, & avertendi proponit, nonne quid novi? nonne quid curioſi? *ſecundo*, humores veterum, bilem, melancholiam ac pitutiam (quos antiquitas ſtatuit alimentarios, & putrefactos febrium noſtrarum infallibiles authores & cauſas credidit) eliminat, explodit, & hoc non eſſet aliquid novi? *tertiò* hypotheſis exinde nova eſt, nova igitur omnia; *Quarto* denique huiusce etiam generis eſt, ut, ſi eam exactiùs trutinaveris, ſine omni difficultate febres alias omnes continuas & continentes cognoſcas, exenteres, cures; nova utique omnia, curioſa omnia; ceſſa igitur â me ultra quid novi expetere, novitatis hîc ſat habes, ſed & ea, quæ cæcutientes in febrium natura illuminent, quæ ad abſtruſam curandi febres etiam quartanas (opprobria medicorum hactenus appellatas) methodum viam pandunt, complanant, verbô quæ Medicum nobilitare quéunt; fruere nunc his

donec meliora Sequantur.

APPROBATIO THEOLOGICA.

THeſes iſtæ Medicæ de febribus intermittentibus in genere & in ſpecie cum orthodoxa fide & bonis moribus non ſolùm optimè conſentiunt, ſed etiam illarum Eſſentiam, Differentias, ſubiectum, cauſam formalem ac materialem, clarè accuratè & eruditè pertractant ſolidamque eas curandi methodum detegunt; digniſſimæ proinde ſunt, quæ tum ad communem plurium utilitatem tum ad ſingularem Doctiſſimi Domini Defendentis honorem & commendationem in lucem publicam procedant:

Ita cenſet,

Ioannes Mennlin S. I. SS. Theol. Prof. Ord. & Facultatis Theologicæ p. t. Decanus.

APPROBATIO MEDICA.

THeſes hæ de feb: intermit: in genere & in ſpecie, quia juxta multorum Recentiorum normam atque modernis medicis multum vſitatum febres intermittentes & ſymptomaticas tradendi & explicandi modum ritè ac doctè concinnatæ ſunt, multaque Medicinæ tyronibus utilia in ſe continent, non tam publicè propugnari, ſed & prælo committi dignæ ſunt.

Matthæus Blauu Doct: & Med: Profeſs. Nomine ſpectabilis D. Decani.

PROOEMIUM

FActâ (licet eſſentiâ unica, nam ſunt omnes febres eiuſdem radicis, & ſolùm diverſificantur pro ſubiectorum, & hinc pro rerum naturalium, non naturalium, & præter naturalium varietate, ſtatui poſſit febris) generaliſſimâ enucleatioris doctrinæ ergò febrium diviſione in continuas (de quibus alibi) & in intermittentes; Inpræſentiarum ſolùm lubet de his diſſertationem academicam, & quidem ſtylô, quantum materiæ ratio concedet, laconicô inſtituere; quapropter ſit

CAPUT PRIMUM
DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS IN GENERE.

§. I.

E*Tymologia* Febrium harum optima eſt, quæ deſumitur ab antiquo verbo *Februo*, quod ſignificat purgare, reinigen/ eòquòd hæ febres toties, quoties novũ cudunt *Paroxyſmum* (tempus, quô febris poſt quietem de novo exacerbatur, corpusque rurſus affligit) maſſam

 ſangui-

ſanguineam, ſi negotium criticè procedit, ſebruent, depurent, & deſpument. *Intermittentes* dicuntur ratione modi in modo, eò quòd harum acceſſio non perpetuò (ut in continuis) duret, ſed certis vel incertis intervallis & temporibus intermittat, atque ad omnimodam quietem & ἀπυρεξίαν (tempus à paroxyſmis, febrilibusque moleſtiis liberum) deveniant hæ ſebres

§. II.

Definiuntur optimè ita: *Febres intermittentes ſunt inſolitus quidam plùs minùs exceſſivus & periodicus ſpirituum in ſuo elatere vitiatorum ad particulas heterogeneas ſanguinem in ſua mixtione fermentando turbantes amoliendas conatus & lucta.* Definitio eſt univerſalis, ſoli definito convenit, eſt quoque clara, & conſtat genere & differentiâ, ergò bona.

§. III.

Signa diagnoſtica in genere ſunt *duplicia*; vel enim præſagiunt futurum, vel præſentem ſiſtunt paroxyſmum: Febris prologum agunt *primò ſymptomata actionis læſæ*, hinc fiunt importunæ pandiculationes & oſcitationes, cutis ſubitò pungitur, anxia ſimul totius corporis ſupervenit gravitas, torpor & inquietudo, animus mox percellitur, atque ægri omnem loquendi, movendique conatum etiam ægrè ferunt, mores item ſolitô aſperiores ſunt, ſtupor nonnunquam artubus inducitur, pulſus fere hîc exiſtit debilis, & exilior, paulò tamen frequentior, imò per totum corpus compreſſionis quaſi dubius ſenſus intimatur, *ſecundò ratione excretorum* ſubitò ſupprimitur ſudor, tertiò denique *ratione qualitatum corporis immutatarum* videre eſt, adeſſe extremarum partium, digitorum puta, unguium, orbiculi naſi, menti, labiorum, aurium, mamillarum & ſubinde ipſius linguæ frigus & pallorem, hinc & ſcrotum corrugari, ac digitos coarctari, adeò ut facilè annuli, quamvis aliàs digitis probè adaptati, decidant; cutis etiam anſerinam, in femoribus præſertim & brachiis conſpicuam, æmulatur, quæ omnia rigorem jam fores pulſare indigitant.

§. IV.

Dicta modò ſymptomata, ſed paulò magis magisque adoleſcentia & in valeſcentia hoſtem in apertum campum & ſcenam pro ducunt, qui maiori furiâ ipſas rurſùs actiones debellat, hinc intenditur ægri inquietudo, ex moleſto ſenſu etiam dolores lancinantes & rodentes inteſtinorum punctiones ac tormina inducuntur, aggreditur quoque ipſum partium vitalium emporium, hinc accedit ſpirandi difficultas, pectoris conſtrictio, præcordiorum anxietas, ſuſpiria, aut horum inane conamen, pulſus item inſigniùs coarctatur, adeò ut rigore ad ἀκμὴν (vigorem) perveniente pulſus exilior evadat, quàm ut promptè digitô admotô ſentiri poſſit, interea & totius corporis manifeſta percipitur compreſſio, & febricitantes miſelli in tantas quandoque anguſtias præcipitantur, ut anima (arctiori ſuô ergaſtulô quaſi ad inciras redacta) fugam ſæpe moliatur, dum ut plurimùm, qui hoc malo occumbunt, urgente rigore ad Patres abeunt. Præter hæc autem etiam æconomia ipſa ægri variè turbatur, dum jam ſputatio immodica, jam lacrymæ involuntariæ, jam ſudor frigidus, jam urina, jam frequens alvi dejectio negocium faceſſit. Interea & variæ microcoſmi tempeſtates exoriuntur, frigus enim adeò intenditur, ut totum corpus rigore adeò ſæpè convellatur, ut etiam ipſa oſſa confringi debere videantur, ubi ſimul pallor increſcens totam cutim deturpat: Tandem ſub rigoris epilogo prodeunt quædam velut frigoris & caloris velitationes, illudque ab externis partibus introrſum, hic à centro ad circumferentiam copias ſuas ducere videtur.

§. V.

Abſolutô rigoris Epilogô, Prologus novæ ſcenæ adeſt febrilis *æſtus*, in quo jam mitiùs jam vehementiùs nempe pro cauſarum & circumſtantiarum malitia ſequentia fere (nam non omnia ſemper in quolibet ægro adſunt) ſymptomata moleſta ſunt: ſcilicet videbis hinc ex *actionibus læſis* jam corpus iactari, inquietari, caput dolore, vigilias adeſſe, deliria urgere, reſpirare ægros frequentiùs & non nunquam difficulter, appetitum ad cibos proſterni,

ſtim eſſe importunam, jam verò vomere, jam pulſum eſſe citatiorem & ſucceſſivè maiorem, animo etiam ſæpe delinquere. Videbis inſuper *qualitates corporis* naturales *mutari* in præternaturales, dum non ſolùm caput ſed & totum corpus æſtuat, & pulſat, facies rubore perfunditur, lingua areſcit, ſordeſcit, ac ſcabritie obducitur: Videbis denique *Urinam* ſub paroxyſmi declinatione & exitu *colorari intenſiùs*, ſudorem, vel aliam evacuationem ſenſibilem cum ſomno blando ſupervenire, licèt & ſæpè tum inſomnia non abſint. Conflictu hôc ſat acri peractô tandem etiam ipſa febris victas quaſi præbet manus, & victoriam pro illa vice Naturæ concedit, dum modò plena ſymptomatum & furiarum enarratarum fit intermiſſio, à qua febris etiam talis & talis vocatur.

N. 1. Tota duratio vocatur *paroxyſmus* (de hoc vide §. 1.) ſeu febrilis exacerbatio, quæ etiam ſua ſed particularia 4. *tempora* nempe *principium* (accidentium initium) *augmentum* (eorum ingraveſcentiam) *ſtatum* (in quo ea omnia ad ſummum deveniunt) & denique *declinationem* (accidentium ceſſationem ſucceſſivam) percurrit: Tempus quô febris una cum ſymptomatibus ſuis ſævire ceſſat vocatur *ἀπυρεξία*, de qua § 1 hæc verò durat jam breviori jam longiori intervallò, jam certo jam incerto tempore, quò elapſô febris priori fere, ſæpe novo ſymptomatũ ſatellitio ſtipata novum ægro denunciat bellum, donec totum conſumptum eſt fermentum febrificum: Dicto modò alternans intermiſſio & exacerbatio in febribus hiſce intermittentibus ſiſtunt *ſignum* pathognomonicum ſeu *eſſentialiter inhærens.*

N. 2. Febris omnis eſt *morbus intemperiei*, ſeu humorum præſertim ſanguinis & dein ſpirituum in temperie & mixtione alteratio, actionibus in æconomia animali edendis inepta.

§. VI.

Cæterum rurſus ratione modi in motu differunt hæ febres, hinc aliæ (ex acerbatione nempe quotidiana) dicuntur *quotidianæ*; aliæ (quòd tertia quaque die paroxyſmus ingruat) appellantur *Tertianæ*; aliæ denique (quæ quarto die ſuam ſcenam ludunt

dunt

ount) vocantur *Quartanæ*; hæ etiam ſunt vel *ſimplices*, vel *compoſitæ*; *illæ* ſunt modò dictæ; *hæ* ſunt *duplices*, vel *triplices* id eſt bis vel ter dicto tempore redeuntes; omnes autem ſunt vel *periodicæ* (ἀπυρεξίαν æqualem obſervantes) vel *erraticæ*, quæ quidem aliquam periodum habent, ſed ita ut videantur non habere, ut ſi hodie invadit hora decima, altero die octava, rurſus ſexta, ac dein ſecunda &c. vel denique ſunt omninò *vagæ*. Sunt tandem aliæ pro ſymptomatum variationis in paroxyſmo ratione plures accidentales harum febrium differentiæ, quæ ab aliquibus *Anomalæ* intitulantur, nominatiores ſunt ſequentes v. g. Algida; Ardens; Aſthmatica; Anheloſa; Arthritica; Catarrhalis; Cardiaca; Dejectoria; Delira; Epiala; Emetica; Lipyria; Micturiens; Maniaca; Præfocans; Sicca; Siticuloſa; Sudatoria; Sputatoria; Syncopalis; Tuſſiculoſa; Torminalis &c. Aliæ ultimò ſunt *benignæ*, aliæ etiam *malignæ* pro qualitate.]

§. VII.

Subjectum inhæſionis (aliis partem affectam) primarium principale & radicale febrium non eſſe cor, ſed ſanguinem & ſpiritus, hinc inde ſatis evincimus; *Subjectum* verò *cauſæ ſeu radicationis* conſequenter non eſſe ſanguinem, aut certum aliquod viſcus v. g. pancreas, ſed potiùs univerſum corpus, potiſſimùm verò vaſculorum ſanguiferorum fines, in quibus lege circulationis mechanica quadam neceſſitate materia febrilis hæret, donec rigorem faciat, & repulſa ad vaſa ſanguifera æſtum concitet.

§. VIII.

Quid autem febres cauſet, determinatu res ſat ardua eſt, utpote quæ doctiſſima quæque hactenus torſit ingenia, nos dicimus convenienter noſtræ doctrinæ in Inſtitut: Med: l. 2. c. 3. §1. & lib. 5. c. 2. §. 2. traditæ, *cauſam efficientem formalem proximam eſſe ipſos ſpiritus*, in elatere ſuo vitiatos; Ratio eſt, quia primò hi cudunt actiones naturales, ſic etiam præter naturales; ſecundò timore, ac ira (pathematibus ſpirituum) producuntur febres; tertiò

tertiò amuletîs per imaginationem ſpiritus afficientem fugantur &c. verbô potentia motrice, quod vitali motui infenſum & contrarium eſt, impetuoſo motu inſurgunt ad illud amoliendum: ſententiæ huius quoque patrocinium habemus ſufficiens à variis Authoribus, præprimis autem huc faciunt, quæ habet *Pet. Poterius* Andegavenſis, qui lib. 1. de feb. c. 31. hæc habet: *Cùm ſpiritus ſint omnium rerum opifices, & morborum ac ſanitatis potiſſimæ ſunt cauſæ*; ſeq. cap. dicit: *vapor* (intelligit febrificum) *cùm ſit à ſpiritu vitæ alienus, mirum non eſt, ſi cùm eo bellum moveat perpetuum, ex quo humores & corpus univerſum mirificè incandeſcit.* CAMPANELLA lib. 1. de ſenſu rerum c. 13. apertè hoc ſtatuit inquiens; *Spirituum fervor eſt armatorum ad bellum contra inimicum humorem, dum in perniciem inimici pugnat, totum diſſolvit compoſitum: hoc arcanum de febre latet Medicos, putantes rem eſſe pernitioſam, quam ego judico utilem.* Denique ipſe famigeratiſſimus D. D. *IO. HENR. KöFFERLIN* almæ noſtræ Univerſitatis Medicinæ Profeſſor eximius p. m. in ſua diſquiſit: phyſico-Medica de ſpiritibus par. 2. c. 6. n. 109. tradit (poſtquam negavit morbum intemperiei conſiſtere in qualitatum primarum ametria) quòd ſpiritus cum fermentis non ſolùm cuncta ſymptomatum varietatem, ſed etiam omnem caloris, frigoris, ſicitatis &c. exceſſum inducere poſſint; qui plura deſiderat, adeat acutiſſimi ingenii Virum *SEB. WIRDIG.* lib. 2. de ſpiritibus c. 3. item fundamenta Medicinæ *FRID. HOFFMAN.* Pathologiæ cap. 3. & præprimis feliciſſimum *ETTMûLLERUM* &c. Hi ſpiritus igitur in eccentricitatem febrilem à cauſa occaſionali irritatione redacti febres, earumque ſymptomata excitant.

N. 1. Per cauſam occaſionalem hîc intelligo *cauſam materialem proximam*, quæ revera in genere alia non eſt, quàm materia quædam cruda â ſanguinis & chyli diſproportione orta, in ſpecie verò eſt crudior & craſſior chyli portio ſtagnando acida effecta, quæ ſcilicet ob ſanguinem debilem & languidum velut tenacior & compactior circulationis medio in quibuſcunque extremitatum anguſtioribus meatibus hærens tandem febrim talem fabricat: Eſſe autem talem crudam portionem cauſam occaſionalem

nalem primam *déſignant* ſatis *morbi ex febribus hiſce pullulantes*; v g. anaſarca, Aſcites leucophlegmatia, cacochymia, cachexia, chloroſis, parotidum item lienis, crurum & alij tumores pituitoſi & ſeroſi, ſcorbutus frigidus, fluor albus, Rachitis, manuum & pedum ſtupor, aſthmata, qui affectus omnes ſunt cruditatum ſoboles: Deinde patet & *â juvantibus*; fideliſſima enim antidotus ſunt lixivialia ſalia, amara aſperiora inferiùs nominanda, item ſtomachica & diſcuſſiva calidiora, quæ omnia cruditatibus quaſi ê diametro opponuntur. Demonſtrant hoc etiam quædam *clymata*, nam populi quidam perpetuis & æqualibus ſolis radijs æſtuantes febrium paroxyſmos prorſùs ignorant, præſertim ij, qui ſub æquatore degunt; Atque tandem *ab ipſis excretis* v g. urina, in qua á debita materiæ morbificæ coctione hypoſtaſis alba, aut ſaltem ſubalbida & craſſa (& hæc cruditatis progenies eſt) deprehenditur; accedit quòd ſanguis per V S. emiſſus in his febribus crudiori quodam recremento fædatus conſpiciatur.

N. 2. Dicta tamen materia cruda differt â pituitâ vel excreando, tuſſiendo, ſternutando, nares emungendo &c excretâ, quòd illa coctionem præcedat, & hujus (ſi calor intenditur) ſit capax; hæc verò coctiones ſubſequatur, & earum juſſa non audiat; item quòd illa ſit chylus indigeſtus, & febres excitet, hæc autem ſit ſerum inſpiſſatum, & potiùs febres prohibeat.

§. IX.

Reſtat nunc determinare, qualiter ſtagnando aceſcat illa materia, quod, meâ quidem opinione, commodiùs non fit, qùam ſi conſideramus, humores chylo noſtro analogos, v g: lac, ſerum, Emulſiones, juſcula, gelatinas, decoctum paſſularum &c aliquandiu aſſervatos & ſtagnantes ſuapte ſponte neceſſariò aceſere, idcircò concludimus, idem chylo crudiori contingere, & conciliatâ extra vaſa ſtagnando aciditate, ut infra dicetur, paroxyſmum formari. Ad hanc aciditatem clariùs enucleandam præſuppone ex noſtris Inſtit: med. l. 1. c. 6. §. 1. *ſanguinem eſſe liquorem rubicundum, ſalſum, volatilem oleoſum gelatino-*

latinoſum, adeòque in ſano ſtatu nullum principium prævalere, ſed omnia in mixturam quandam temperatiſſimam (inde, forte vitam in eo conſiſtere ſacræ aſſerunt paginæ) dulcem, quia nempe ſalinæ particulæ oleoſis attemperantur; apparet exin, quòd, ſi dicta mixtio læditur, mox etiam hominem lædi neceſſe ſit, præprimis ſi oleoſæ vel ſupprimuntur, vel exaltantur, vel diſſipantur partes, quippe tum ſalinæ in apricum deducuntur, & ſui juris factæ mox etiam totam craſin & mixtionem ejus variè alterant; apparet hoc in melle, oleo &c in quibus acidæ ob partes viſcoſas ramoſas (oleoſas volo dicere) ſulphureas non ſentiuntur. mox verò ac in fluorem ſive igne ſive fermentatione evehuntur, ſpicula ſua priùs pinguibus inviſcata exerunt, atque ferociunt; quemadmodum vina &c calori expoſita diſſipatô ſulphure aceſcunt, imò in ipſum acetum abeunt; ſic & corpora omni ſulphure orba (uti ſunt ſucci vegetabilium acidi vg. berberum & ſpiritus minerales acidi ſulphuris &c:) omnino acida ſunt, imò etiam in his ideo nulla ſaporis gratia ſperanda eſt, quia nullæ ibi partes oleoſæ ſperandæ,

N. I. Operæ modò pretium erit, ut aſſignemus, quibus in caſibus oleoſum hoc ſulphur ſanguinis deſit & pereat, & in quibus optimè conſervetur: Deeſt autem in debiliori & languidiori hæmatoſi, ob inſufficientem motum inteſtinum veluti fructus in frigidioribus æſtatibus non ritè matureſcunt: Excutitur ſulphur enormibus aut frequentioribus fermentationibus, hinc ex longis febribus reconvaleſcentes ædemateſcunt: Perit diuturnitate temporis, hinc in ſenibus vappeſcit ſanguis: Diſſipatur nimiùm in tenuiori ſanguine, hinc cholerici non ſunt tam longævi, uti & vina dilutiora ad aceſcendum procliviora ſunt; Dehiſcit & facilè ejus ſulphur, in quo partes chyloſæ oleoſæ non intimiùs, ſed perfunctoriè duntaxat permiſcentur. Econtra ſulphur ſanguinis conſervatur Primò debitâ ejuſdem fermentatione, quæ chylum ematurare, ſulphurq; extravertere poteſt, ut cernimus in fructibus, qui ineunte æſtate auſteri, mox acidi, & tandem ſulphur dictô modô evectô gratè dulceſcunt: Secundo retinetur illud, dum ſanguis naturaliter ſpiſſus & gelatinoſus eſt: Tertiò denique

nique multùm rei tribuunt, quæ novum ſulphuris penum ſanguini ſubminiſtrant: quemadmodum res oleoſæ, muſta novella, item aromatica mediô ſe modô inter oleum & Spiritus ſulphureos habentia vinis ad acorem vergentibus adiecta eorum deliquio occurrunt, quô pactô non tam ſanguis â novis chyli oleoſis particulis annunte *Numine* (ut vinum novô generoſô muſtô) per ſæculum ab aciditate præſervari poſſibile eſt, plura audies de cauſis procatarcticis.

N. 2. Quamvis hæc ita ſe certò habeant, nullatenus tamen reor, materiam febrilem in ſanguine, ſed potiùs extra hæc vaſa ſtagnando (ut ſtatuimus §. 7. n. 1. huius cap:) acidam evadere, quò me perſuadent ſequentes rationes, nam Primò vitalis hic latex (omnium liquorum primas) ſanguis, velut animatus balſamus plerumq; eximiè eſt ſpirituoſus & Sulphureus, ac perexiguo ſale fixo conditus, conſiſtentiâ ſatis craſſus, ſemperque in tali fermentationis actu conſtitutus, qualis non tantum ad ſui ipſius ſed & ad chyli oleoſas partes evehendas ſufficit, atque etiam ad avertendam in ſanguine aciditatem bis ſaltem vel ter de die recenti, leni, oleoſo nec non uberiori chyli penu ſaturatur, quæ omnia, maximè in ſtatu naturali, ad ſanguinis ab acore præſervationem conſpirant, inviolatum autem ut plurimùm præſtat ſuaviſſimum hoc & oleoſum chyli tributum ipſe appetitus vegetus. Secundò nec ullus acor unquam in ſanguine v g. Iuvenum tertianariorum aut ejus ſero deprehenſus fuit, etſi alcalibus id probetur, & tamen ab effectis patet, tertianarum paroxyſmos ab acore provenire. Tertiò incredibile eſt ſanguinem v g. Iuvenis, qui derepente febricitat, tam citò aceſcere, ut qui antea tam floridus, & Spirituoſus erat. Quartò ſi ſanguis ipſe aceſceret, tunc eò magis Sulphureæ particulæ & conſequenter calor deprimeretur, eoque minùs febres moleſtarent, quod ex parte apparet in cachecticis & ſcorbuticis frigidis. Quintò cùm venæ & arteriæ nullô vel exiguô ſaltem ſenſu ſint præditæ, ideò etiam aciditas in illis genita non tantam moleſtiam, quantam in rigore febrili experimur, pareret, & quomodo febres ſuapte naturâ ceſſarent? &c. His igitur & alijs rationibus perſuaſus firmiter

 credo

credo, materiam febrilem in ſanguine non aceſcere, quod animadvertentes Veteres etiam ſtatuerunt febrium intermittentium materiam morbificam extra venas putreſcere (ſic nominarunt materiam crudam) at multi ex ijs recentioribus quoque ineptientes receptaculum quoddam pro hac putredine aſſignarunt, quod tamen falſum eſſe ipſe motus ſanguinis circularis ſatis evincit.

§. X.

Examinatîs nunc cauſîs imediatîs internîs & ſatis exenteratîs, nunc accingimur ad determinandas *cauſas remotiores internas*, nter quas celebratiſſima eſſe poteſt, ipſa ventriculi cruditas ex læſa chylificatione enata; *externas* verò & quidem *procatarcticas* facimus *duplices* & quidem primas, quæ febres remotè generant, ſecundas autem, quæ diatheſin febrilem facilé excitant: Priores rurſusſunt triplicis generis.

N. 1. *Primi generis* ſunt, quæ ſanguini cruditates ſuggerunt, quales ratione *aeris* eſſe poſſunt omnes terrarum plagæ, quæ nimia humiditate macerantur, aut uberiori aquarum illuvie ſuperari ſolent, utpote paludes diſſolutæ & infidæ, loca uliginoſa humilia & lacubus confinia v g. hîc *CONSTANTIAE*, utpote quæ madore ſuo jugiter ſordeſcunt, quin etiam ædes, quas ſtagna, piſcinæ, natatoria & flumina alluunt, citiùs febres alunt, quam aliæ ab huiuſmodi undis ſejunctæ; accedit his omne intempeſtivum cum aquis commericum, ut navigatio &c. Item omnis inſignis & ſubitanea aeris mutatio â calida & ſicca temperie in humidiorem & frigidiorem, qualem in autumno (uti humorum ita & febrium fæcundiori parente) non raró experimur, hinc aer humido - frigidus inter has cauſas meritò primatum tenet, quippe ſanguinem (nimias humiditates ſero luxurianti ſuggerendo) ita diluit, ut calor ſanguinis inerti aquarum mole ſupprimatur, fermentatioque torpeſcat, inde ſanguis deliquio quodam fatiſcens muneri ſuo impar evadit, & ſucci nutritij aſſimilatio enomiter labefactatur, proindéque neceſſarió in crudam quandam materiam (quia per tranſpirationem

diſſi-

diſſipari non poteſt) fatiſcit. Huc ſingulariter quoque ſpectat *Diæta* humido-frigida, eſculenta limoſa, ut olera frigidiora, crudoque ſucco turgida vg. lactuca, portulaca, beta, braſſica, ſpinachia &c. nec non acetaria ex his confecta, lacticinia, fructus immaturi horræi, craſſi, frigidi &c. Inter animalia numerantur aquatilia, anguillæ, ranæ, piſciculi molliores &c. animalia item ſubruma, vituli nempe, & porcelli lactantes &c. *Flatulenta* inter infamia ſunt crudiora, aquoſa, jejuna, languida, emortua & vappida, ut ſerum lactis, lac ebutyratum, aut aquâ dilutum, aqua ipſa, cereviſiæ tenuiores &c. hinc plebeculi, proletarij, ſtrigoſi, Famelici, veſculi & mendici morbi horrore frequentiùs & diutiùs contremiſcunt, cùm econtra auſpicatioris Fortunæ viri opiparè viventes & vegetiori *BACCHO* calentes, auxiliariũmque ſpirituum turmâ freti vilem dedignantur hoſtem, imparemque debellant; quò etiam ſpectat vivendi ratio iners & deſes, ocioſa, quâ ratione humores ſiſtuntur, & humanum corpus aliquod quaſi ſtagnum efficitur, unde calor & fermentatio obruitur, & fit, ut chylus non ſatis ſubtiliter comminutus juſtam maturationem non conſequatur; ſed crudioris cuiuſdam pulticulæ formam induat.

N. 2. *Secundi generis* ſunt debilitantia omnia, ut omnes hæmmorrhagiæ ſive naturâ ſive arte evenientes; item omnes aliæ evacuationes effuſæ, ut alvi profluvia, diarrhææ, dyſenteriæ, purgationes colliquativæ, &c. ſic quoque elumbes jejuniô, ſolicitudine, mærore, metu, laboribus, æſtivo fervore, aut curis confectos, aut morbis gravioribus præſertim autumnalibus attritos data languoris occaſione quaſi ſubdolè invadit inimica lues, hisce enim evanidus generatur cruor, & cùm vegetioribus deſtituatur particulis, etiam chyli penum affatim illi transmiſſum ſubigere nequit, hinc ſanguificatio ſpartæ ſuæ ſuccumbit, chyluſque immaturus in vaſis ſanguiferis coacervatur, & hinc copioſus fomes materiæ crudæ ſuggeritur.

N. 3. *Tertij* denique *generis* ſunt, quæ chylum crudiorem ſubminiſtrant ſanguini, qui cæteroquin ſincerus & illibatus eſt, & ſic cruditates pariunt, quod eò magis fit, quando etiam cauſæ ſan-

guinem diluentes aut debilitantes in prioribus 2. numeris propoſitæ concurrunt, quales in primis cenſeri poſſunt cibi dyſpepti, debitæque coctioni obnitentes, uti cenſentur viſcoſi, tenaces, duri, v. g. animalium pedes, cutes, tendines, cartilagines, partes membranoſæ, ut inteſtina, ventriculi &c. carnes crudæ, & fumô induratæ, planipedum volatilium ut anſerum, cygnorum, & anatum carnes; panis biſcoctus, vel ex germinanti grano confectus, omniaque ex paſta non probè fermentatâ confecta, ut lagana Kuechen / fritillæ, & ſimiles magis adulatoriæ quàm proficuæ confectiones, ſalmones butyrati, fungi, gelatinæ, pulticulæ graviores, aliaque, quæ ventriculum laſſant, aut crapulam poſt ſe trahunt, quæ omnia eò certiùs febrilem diſpoſitionem ſuggerunt, quò magis ventriculus pituitoſis ſordibus aut alio quovis defuncto humore fædatur: Huc quoque ſpectant aliæ ex hiſce 6 rebus nonnaturalibus, uti ſunt, excreta & retenta, motus & quies, ſomnus & vigilia, ac animi pathemata, quæ, ſi quacunque ratione modum exceſſerint revera febres concitare aptæ ſunt.

N. Quartò Hæ ipſe modò dictæ triplices generis cauſæ etiam *diatheſin febrilem excitare* & in actum deducere *poſſunt*; potiores tamen etiam hæ eſſe queunt, vg. decubitus humi aut linteaminibus humidiuſculis; ſubitus & incautus ex cubiculis & lectulis calentibus deceſſus in auræ frigidioris afflatum; omnis pororum conſtrictio inſignis, terrores inopinati, omnia frigida, & horrifera. quæ paroxyſmum quaſi ſub cineribus occultum facilè evocant; item ſunt adhuc aliæ, quæ ſanguinem turbando latentes febres reſuſcitant, utpote inſolatio, nimia exercitatio, ira immodica, item res ſecundum quid naturales, ut ſunt vomitoria, cathartica, balnea &c. Venæ ſectiones & ſcarificationes intempeſtivæ &c.

N. Quintò inter *cauſas neceſſarias naturales* præptimis eſſe poteſt temperamentum melancholicum, & pituitoſum; ætas quævis; uterque ſexus; diatheſis febrilis; anni tempus quodvis, minùs tamen æſtas &c. Ratio verò, quare magna ſæpe cruditatum moles ſine febre hoſpitari valeat, patebit infra de febribus, in ſpecie § ſis de cauſis neceſſarijs naturalibus, in quibus triplicem ſanguinis ſtatum conſiderabimus.

§. XI.

Devolvimur nunc ad cauſas ſymptomatum ſupra § 2. enarratorum explicandas, & quidem Primò frigus, horrores, & rigores, utpote quòd hîs enucleatiùs penſitatîs facilior ſit ad reliqua aditus; præſupponimus autem ex noſtra phyſiologia *c. 10.* §. 9. quòd omnis *motûs animalis localis organum* primarium ſit fibra nervea motrix dicta, ſive arctiùs conjuncta, ſive laxiùs ſeparata ut in membranis, quales ſunt cutis, ventriculus, inteſtina, veſica, panniculus carnoſus &c, quæ quidem & ad extenſiones, ſed potiùs ad contractiones (ut videmus in nervo diſecto) aptæ ſunt; præſupponimus Secundò, jam per ſe notum eſſe, quòd fibræ, quocunque modô vellicentur, aut irritentur, ſe contrahant, & quaſi turmatim excandeſcentibus Spiritibus animalibus juratâ in hoſtem vindictâ ad amolitionem moleſti obiecti exurgant, ut fuſiùs ibidem & alibi demonſtravimus; præſpponimus Tertiò, maximam eſſe membranoſarum partium ſympathiam, ita ut paciente unâ plerumque aliæ ſimul per conſenſum triſti ejus ſtatui condoleant; imò *VVEDELIVS* abſolutè aſſerit, non dari ſenſum ſine nervo & membrana, & hanc ipſam pro vero ſenſationis organo tenet, quæ etiam ultra nervos ad extremas partes excurrit. Quartò denique præſupponimus, motum partium animalem omnem abbreviatione muſculorum &c. vel ſi placet, contractione fieri: hîs ita poſitîs ad rem tranſeo; Itaque.

N. Primò, dico: *Frigus* eſt levis; *Horror* verò nonnihil major; *Rigor* autem ſenſibilis & triſtis valde membrorum â membranis cum ſenſu frigoris contractis & inordinatè concuſſis convulſio.

Diagnoſis etiam bajulis nota eſt, ipſique ſenſus viſûs, tactûs, & ſæpè quoque auditûs teſtes ſunt.

Symptoma eſt depravati tactûs & motûs animalis partium.

Dicta 3. ſymptomata non tantùm *differunt* ſecundùm magis & minus, ſed etiam, quòd frigus nullam præſagiorum pompam agnoſcat, nullum ſingularem febrilem æſtum poſt ſe trahat, nul-

lâ periodicâ intermiſſione ſublevetur, nullis denique aut ſaltem levioribus doloribus & torminibus mortales excruciet.

Subjectum inhæſionis ſunt potiſimùm membranæ nervos & partes ſuccingentes: *Radicationis* autem locus indeterminatus, ſcilicet is, in quo facta eſt ſtagnatio materiæ crudæ.

Cauſa formalis proxima eſt ipſe ſpiritus animalis âb occaſionali crudâ, quantitate, vel qualitate (acidâ) peccante materiâ irritatus, & in ataxias haſce redactus: *cauſa* autem *materialis* eſt modò dicta materia: *modus* fiendi in tertianis & quartanis (nam de quotidianis aliter ſentimus, ut infra de his dicetur) eſt talis; v. g. aciditas acrimoniâ ſuâ (frigiditate forſan non nihil adjuvante) membranas & nervulos laceſſit, inde partes illæ contractionem paciuntur, & hinc ſpiritus laceſſiti ad excutiendum moleſtum hoſtem concuſſionem excitant, quâ horror ſeu rigor oritur: Aciditatem verò rigoris cauſam eſſe, patet vel ex eo, quòd febres intermittentes facili deſcenſu in affectiones hypochondriacas & ſcorbuticas (quæ aciditate infeſtæ ſunt) delabantur, adeoque aciditas hæc plurimùm tribuit, neutiquam tamen tantùm, ut & quantitas huius materiæ excludenda veniat, nam res per ſe clara eſt, illam pondere ſuo aut mole membranoſas partes, ventriculum, veſicam, inteſtina &c. ita gravare poſſe, ut contractionem inde natam paciantur, quâ ſe à contentorum moleſtia expediant; hæc materiæ quantitas partes tenellas & exquiſitè ſenſiles vel onerando, vel extendendo aliqualem earundem contractionem (leviuſculam ſaltem) dubiumque horrorem ſuſcitare valet; imò etiam frigidior tantùm materiæ indoles dictam contractionem promovere poteſt. Tandem manifeſtum evadit, *cur frigus ſentiatur*, contractis enim partibus membranoſis coarctantur & vaſa ſanguifera, hinc latex vitalis roſeus retrocedere cogitur, & ſic ſenſus frigoris inducitur, ad quod ſingulariter juvat materiæ aciditas, quæ more repellentium ſeſe habet, hinc in omni frigore *mammæ gracileſcunt*, *annuli ex digitis decidunt &c.* hinc *palleſcunt ægri* repulſo nempe ad interiora cruore; hinc ab acido ſpicula ſua membranis inteſtinalibus infigente oriuntur *varii inteſtinorum dolores*, hinc ſi in membranas pectoris & pulmonales ſævit, easque contrahit, exurgunt *præcor-*

diorum

diorum anxietates, *ſpirandi difficultas*, *pectoris conſtrictio*, *ſuſpiria* & horum inane conamen, ſæpeque etiam his ſymptomatibus ipſa mors accerſitur, hinc & ab iſta ſanguinis repulſione *pulſus* in extremis ſentitur *exilior*; hinc & prohibitâ ſic tranſpiratione humores intùs coercentur, & ob compreſſionem illos à tergo inſequentem quâ data porta ruunt, fitque *immodica ſputatio*, *lacrymæ involuntariæ*, & *urina copioſa*; *ſudor verò frigidus* fit eò, quô in terrore & agone mortis, modô, ſcilicet glandulæ & ſpatiola ſubcutanea immani totius contractione ſubitò compreſſa humorem ſuum (non ſecus ac humida linteola contorta) extrudunt, qui cùm non immediatè à ſanguine derivetur, & exteriores corporis partes (quibus inſidet) tum ob diſtantiam à corde, tum ob aerem ambientem magis algeant, frigidulus exiſtit, uti etiam ſunt *naſi ſtillicidia*, *lacrymæ* &c. quæ eadem planè ratione exprimuntur, adeò ut lacrymæ dici queant oculorum ſudor frigidus, & econtra, cùm amborum eadem ſit calamitoſa cauſa; *Vomitus* à WILLISIO in febrili rigore optimè explicatur, dum eundem ſpaſmo, ſeu ventriculi contractioni &c. adſcribit. Pari paſſu levi negotio explicabimus phænomena febres præſagientia, inter quæ choream ducunt *oſcitationes* & *pandiculationes*, quæ profectò itidem ab aciditate muſculorum membranas & fibrillas nervoſas paſſim urgente neceſſariò proveniunt; hinc & *cutis anſerinæ æmula* redditur, quoniam dum cutis undique â frigore conſtringitur, ſimul & deprimitur, pilorum poruli à glandulis ſubcutaneis ſuſtentati, & ab illorum radicibus (quaſi tot columellis) fuffulti prominulas illas papillas efformant, ut ita cutis quaſi anſerina efficiatur; & hæc ipſa eſt ratio, cur ob eandem conſtrictionem *frigus effuſiſſimos ſudores* è veſtigio *ſupprimat*: hinc tandem *ſtupor* etiam frigoris progenies eſt, & ſenſûs denotat abſentiam, in dicta etenim ſpasmodica contractione non tantùm ſanguis, verùm etiam ipſi ſpiritus animales in nervulis, extremis ſaltem, & exilioribus pari ferè ritu retrocedere coguntur.

N. 2. Poſtquam Rigorem, ejusque ſub vexillo militantem ſymptomatum catervam diribuimus, ad æſtuoſum prælium invitamur, nempe ad *æſtum febrilem* dirimendum & oppugnandum urgemur, de quo.

Dico

Dico, *æſtus* eſt qualitatis corporis in ſtatu ſano naturaliter calidæ in præternaturalem poſt rigorem in febribus intermittentibus calidam mutatio.

Cognoſcimus hunc ex ipſa corporis qualitate calidiore, ſiti &c.

Symptoma conſequenter eſt qualitatis mutatæ.

Pars affecta hoc æſtu ſunt partes ſolidæ ; *Radix* autem eſt tota maſſa ſanguinea in ſua mixtione turbata cum ſpiritibus in motu vitiatis.

Cauſa formalis proxima efficiens jam ſupra §. 7. tacta eſt: *materialis* verò rurſus ſunt ipſæ particulæ acidæ volatiles, ſed Fermentantes, quæ per motum localem ad ſanguinem defer untur, quippe omnia ad hunc motum requiſita adſunt, inprimis enim ipſæ hæ particulæ ſunt *mobile* ; *terminus à quo* ſunt tubuli fibrarum corporis (ut ſtatuimus lib. 1. c. 7. §. 4, quod hi *ſint*, non anaſtomoſes venarum, per quas ſanguis ex arterijs communicatur ipſis fibris) in quibus facta eſt eorum ſtagnatio ; *terminus ad quem* eſt ipſe latex vitalis ſanguineus in corde & arterijs (nam venoſus non eſt niſi poſtliminiò capax) contentus : *medium* verò, quô hæc translatio peragitur eſt motus hujus circulatorius ; *movens* denique eſt ipſa partium externarum concuſſio & contractio, quæ dictum fermentum ſucceſivè protrudit ad ſanguinem. Nunc ut genuinas febrilîs æſtûs cauſas perfectiùs penetres, præſuppone Primò ea, quæ de ſanguine ſuperiori §. 8. diximus ; dein præſuppone itidem Secundò ex noſtris inſtit. lib. 1. c. 4. §. 3. ſanguinem propter craſin ejus ſalino - volatilem non tam motu inteſtino quàm etiam circulari inſigniter incaleſcere, inde *VVEDELIVS* in ſua phyſiol: medica ſect. 2. c. 10. pag. 73. ait : *quò magis oleoſæ & balſamicæ particulæ in ſanguine* (ut in juvenibus & viris primæ ætatis) *abundant, eò calor major* : patet igitur caloris ſubiectum primarium eſſe, Secundarium autem Spiritus ac horum impetus ; præſuppone Tertiò, quòd omne id (quale etiam eſt fermentum febrile) quod aliquod corpus in ſua mixtione turbare cogitat, tam potens eſſe debeat, ut vinculum mixti diſſolvere, atque corpus, quod antea unum fuit, in plura corpora minima per motum localem redigere, locatum

que

que â loci prioris lateribus ſeparare, & ſic totam, vel ſaltem magnam, ſi non maximam (in intermittentibus enim benignis totam diſſolvi non eſt credibile) mixti compagem quaſi diſunire (in quo *turbata mixtio* conſiſtit) poſſit, donec vi diſſoluentis ceſſante partes reliquæ naturales de novo quieti rurſus reddantur. His præſuppoſitis dico rurſus: *æſtus febrilis motu locali* denuò *peragitur*, quippe dum ſæpe dictum fermentum febrile poſt rigorem propellente convulſivâ partium contractione in ſanguinis ſinum excerptum fuit, hoc utroque ſanguinis motu etiam motu carere non poteſt, ſed ſimul irrequietis hiſce ſanguinis motibus ultrò citroque jactatur, novuſque motus localis emergit, nam mox, poſtquam *movens* (primum ad motum localem requiſitum) materia febrilis ad ſanguinem detruſa eſt, ea velut hoſpes peregrinus quantocyus turbas in hoc mixto excitat, dum exuperante ſua aciditate acidum ſanguinis plurimùm exaltat, & ſui juris facit, dum interim alcalinæ invertuntur, hinc dividitur eximiè ſanguis, & maximè Sulphur ejus, inde fermentatio præternaturalis & quidem maior vel minor pro diſpoſitione ſanguinis (ut habes hîc præſuppoſito Secundo) excitatur, & ſic æſtus exurgit: per *fermentum* autem intelligitur aliquod agens, mole ſæpe minimum, ſubtile tamen, & penetrativum ac potenter activum, ſeu mediante determinati motûs impreſſione ſpirituum & ſanguinis alterativum; materiam febrilem eſſe tale fermentum loquuntur manifeſtè ipſe æſtus, huiusque calorifica ſymptomata: ad hoc autem ut materia illa cruda fermentum eſſe poſſit, debet habere (ut audiviſti præſuppoſito Tertiô) partes inſtrumentales dividentes, quæ reverà nullæ aliæ ſunt, quam ipſæ acidæ, quippe harum latera & aculei nec non & cuſpides ſui juris facti, ſunt admodum penetrantes & dividentes, ut quondam ad S. *BLASII* monaſterium non ſine eximia omnium præſentium delectatione vidi, dum fatuus ſeu ſtolidus ibi piè ſuſtentatus nomine der Chriſte ex mandato Reverendiſſimi Præſulis *ROMANI* p. me, mihi adhuc in cineribus ſuſpiciundi calicem ſtanneum ad Quartam partem olei ferventis plenum ad hypocauſtum, in quo prandebamus, ad menſam ex culina aportaturus erat, ecce dum jam menſæ ap-

propinquabat, tum inopinatò inferior calicis pars, quouſque nempe oleum acida ſua ſpicula (quibus omnia pinguia ſcatent) infigere valuit, liqueſcit, liquefactaque unà cum oleo ad terram diviſa ruit; en quanta in Sulphureis (acidis) ſubjectis vis & energia dividendi? Quòd autem partes dividentes ſolummodò ſint acidæ non alcalinæ, apparet luculentiſſimè experimentis, quippe alcalia cum pinguibus in corpus tertium ſalſum & ſaponarium abeunt, ut quotidie ſaponarij id nos edocent, quod faciunt & ipſa volatilia alcalia tam occulta quàm manifeſta, veluti ſæpe non ſine fructu Spiritum ſalis armoniaci urinoſum pinguedinibus admiſcemus, qui in competenti quantitate totus iſtis adunatur; videmus hoc & ab ipſis juvantibus, optima enim ſunt alcalia tam occulta quàm manifeſta, ut pluribûs probat Ettmüllerus operum ſuorum theoret: practic. par, 1. c. 15. tit. de febribus in genere, quod & infra de cura æſtûs patébit, hæc enim maſſam ſanguineam ab acido diſſolutam rurſùs contrahunt, & quaſi comprimunt, hinc & tantùm eoùſque in uſum trahenda, donec ſymptomata æſtûs remittant: Et quidni acida velut duriora corpora aculeîs inſtructa, molliora v g. oleoſa & Sulphurea dividere, & in infinitum pene dirimere valerent? Sic calor in acido conſiſtens hecticus etiam corpus conſumit, imò & ipſam liquat pinguedinem & diſſolvit: denique hoc acidum volatile abundè patet ex ſubitanea & ſæpe violenta ejus activitate, habet ergò conditiones in præſuppoſito Tertio allegatas. A movente fermento devolvimur ad Secundum requiſitum, nempe *mobile* ſanguinem ſcilicet, qui, ut incaleſcere queat, neceſſarijs etiam & aptis ad incaleſcentiam inſtrumentis inſtructus ſit, oportet, & hæc ſunt profectò ipſæ partes Sulphureæ ſeu oleoſæ in minima dividendæ, quippe hæ â medicis ſolertioribus & ignis & flammæ, & inde enaſcentis caloris fomes & cauſa materialis habentur, quemadmodum etenim ignis ex minutiſſimis conflatur particulis â ſe invicem diviſis & diſcretis adeo potentibus, ut in compactiſſimorum corporum v g. metallorum porulos pervadant, ſic & Sulphur ſanguinis ab acidis intimiùs diviſum omnes corporis partes tranſmeat, penetrat & implet, ut

æſtus

æſtus hic plùs minùs intenſus ſubſequatur , quippe particulæ ſic diviſæ & comminutæ ſpacium (præſertim dum hoc actu Spiritus mirùm quantùm dilatantur & expanduntur) multò amplius requirunt & quaquaverſum neceſſariò diffunduntur , atque ab exiguitate & levitate movendi ac penetrandi aptitudinem conſequuntur, unde neceſſariò æſtus ſubsequitur : *Ad ſpartam hanc* non minimùm *tribuit* etiam ipſe *motus circularis* , ut jam inſinuavimus , quippe cordis ſpiritus animales ab acido dicto peregrino irritati pulſum , & ſic quoque motum inteſtinum naturalem in præternaturalem tranſmutant , ſicque calorem adaugent , uti videmus corpora noſtra ab exercitijs fortioribus ſine vera mixtionis perturbatione intenſiùs æſtuare : *Huc faciunt* , *& temperamentum* , hinc cholerici uberiori Sulphure abundantes etiam in Quartanis intenſiùs æſtuant , item *anni tempus* , ut æſtas , nec non & *ætas* v.g. juvenilis , & virilis præſertim prima , item *ſexus* virilis præ fæminino &c. Tandem non improbabile eſt, quòd & ipſæ partes terreæ & præprimis alcalinæ non nihil in hoc actu collidant, atque ſic etiam majorem æſtum cauſare queant , videmus enim ſimile quid cottidie (licet argumenta talia ab artificialibus ad naturalia non nihil claudicent) in operationibus chymicis & alijs fermentationibus etiam artificialibus. Denique *partes oleoſas* ut plurimùm ita *pati* , *probant affectus cachectici* poſt diuturniores febres , hi etenim inde (quòd diſperſo per illas balſamico ſulphure maſſa ſanguinea tota vappida & effæta evadat (emergunt. Tertium dicti motûs localis requiſitum eſt *terminus â quo* , & eſt hic ipſe ſanguis in ſua mixtione turbatus , utpote qui reſtitui in priſtinum ſtatum cupit : Quartum eſt *Terminus ad quem* ſcilicet ipſa coctio pathologica , quæ ſecundum nos in noſtra baſi lib. 3. c. 2. §. 4 (qui locus videri poteſt) eſt adaptatio materiæ excrementitiæ ad excernendum , hæc enim eſt finis , hæc eſt terminus ad quem ſpiritus ſuum niſum & conatum (ut metaphorâ utar) dirigunt, luctamque ſuam inſtituunt : ſupereſt tandem ut *medium* (quintum requiſitum) quô hic motus localis ſeu tranſpoſitio partium minimarum inſtituitur , ad bilancem medicam ponamus, nimirùm *fermentationem* , hæc autem in noſtris febribus eſt præter-

naturalis & auctus particularum minimarum inteſtinus motus, qui in ſanguine velut oleoſo ac etiam heterogeneo locum habet: differt hæc multùm ab effervescentia, utpote quòd illa lentè, & ſucceſſivè accidat, hæc autem longè impetuoſior ſit, ſolisque fere acidis & alcalinis ſalibus debeatur; *Hic motus* ſitne perfectivus vel corruptivus, diſputent alii, quidquid velint, in ſenſu ſano uterque eſſe poteſt; *corruptivus* fit (in malignis &c.) ſi ſpiritus adeò ſuccumbunt, ut ſeſe ad amoliendam materiam morbificam ampliùs expandere non queant, unde quotquot obeunt, in rigore fere intermittentium obeunt; *perfectivus* eſt, ſi ſudor vel alia evacuatio critica ſubſequitur, & æger levatur: *Huius motûs cauſæ adjuvantes* ſunt ipſe calor tam prior naturalis quàm etiam poſterior præternaturalis, obſtetricaturque ipſum ſerum per rigorem intimiùs ſanguini adunatum, quô non ſolùm ſalia promptiùs diſſolvuntur, ſed etiam pars oleoſa præprimis diſunitur. His ita de æſtu licèt novo quaſi dogmate ſtatutis facilè nunc erit eius ſymptomata eventilare, quippe *jactatio corporis & inquietudo* à gravaminibus partibus ſenſibilibus propter ſanguinis expanſionem, calorem acriorem, motumque vehementem illatis &c. cauſatur. *Capitis dolor* fit à motu ſanguinis æſtuoſioris violento, ſpirituumque in motu exploſivo conſtitutorum ferociâ, quibus meninges exquiſitiſſimo ſenſu dotatæ laceſſuntur, diducuntur, & ſic dolorem ſuſtinent, æſtus verò ab eiuſdem membranis plùs minùs inflammatis procedit, *Pulſatio* explicatur per pulſum frequentem: *Vigiliæ* ab irrequieto ſanguînis & ſpirituum motu ac variis doloribus moleſtiisque inde enatis proveniunt: *Deliria* à ſpiritibus præſertim circa glandulam pituitariam in cerebro confuſis & perturbatis accidunt: *Facies rubore* à ſanguine extrorſum propulſo ſuffunditur: *Areſcit & ſcabra* fit *lingua*, tum intenſiori linguæ calore, à quo & ſiccitate importuna gignitur *ſitis*, tum etiam, quòd ſerum à dilatato ſanguine tanquam ab expanſa ſpongia plerumque ſuſpendatur & detineatur: *Reſpiratio frequentior* redditur à ſanguinis & ſpirituum expanſorum inundantia, pulmones adeò gravante & diſtendente, ut hinc exigua aeris portio ſubintrare pro vice queat, *Difficilior* autem fit, eò quòd pulmonum micationes opprimantur:

tur; *Appetitus proſternitur* tam ob exhauſtum, vel omninò depravatum liquorem gaſtricum, quàm etiam ob ſiccitatem & calorem ventriculi magis potum quàm eſum deſiderantes: *Vomitiones* evenire poſſunt tam à ſanguine per æſtum liquato, & quandoque ſaburra bilis uberioris (quæ ab æſtu procedit) provenfiente duodeni motu inverſo in ventriculum exantlato, quàm etiam denique ab ipſorum ſpirituum (ut navigantibus nonnunquam accidere ſolet) perturbationibus: *Pulſus frequentior* accidit, dum cordis fibræ motrices à ſanguinis acriori æſtu, fermentatione, & expanſione ſpirituum laceſſitæ, & idcirco à ſpiritibus animalibus nimis agitatæ cor ad frequentiores contractiones & pulſationes ſollicitant, ſenſim autem major ſentitur, prout ſanguis rareſcit & ſpiritus expanduntur: *Animi deliquia* ſuos natales aut cordi (quandoque oneri ſuccumbenti) vel ſpiritibus fatiſcentibus aut oppreſſis adſcribere habent: Tandem *urina coloratior* ad paroxyſmi finem evadit, eò quòd calor ſerum inſpiſſet, ſulphúrque & ſales exaltet: Denique paroxyſmo declinante *ſudor* plerumqúe *emanat*, quia nunc ſanguinis particulæ ſibi invicem propiùs accedentes ſpatiola in ejus expanſione ſerô occupata neceſſariò comprimunt, ſerùmque è maſſa ſanguinea coarctata (tanquam ex conſtrictis ſpongiæ poris) exprimunt: ad hanc autem ſanguinis compreſſionem non inefficaciter concurrit ipſa ſanguinis gelatinoſitas, veluti videmus in extravaſato, qui plerumque per V. S. ad vaſcula emiſſus tandem latera deſerit, ſeróqúe innatans ſæpe mirùm quantùm contrahitur, ſic etiam ſæpè preſſa ſanguinis coagulati ſuperficies ſerum fundit, hinc durante paroxyſmo ob ſanguinem nimiùm dilatatum ſerum retinetur & quaſi ſuſpenditur, debitaqúe illius (& ſi reliqua *ſudoris requiſita* v. g. ſufficiens ſeri quantitas, juſta tenuitas, competens item ad ſerum propellendum motus, pori, vaſculorumqúe fines ſatis patuli adſint) ſecretio deficit, hinc etiam nullus ſudor ſequitur, ſaliva quoque deeſt, Urina minor, major ſitis, mox verò ac ſudor ſequitur, ſequuntur & aliæ lymphæ ſecretiones, ſitiſqúe idcircò mox ceſſat; inde eſt, quòd omnia, quæ ſanguinem incraſſant & conſtringunt, ſudores moveant, ut ſunt opiata,

cortex

cortex peruvianus, radix tormentillæ aliáque aſtringentia utpote terrea alcalica &c. quæ omnia ſudorifera ſunt & alexipharmaca, imò & externis poris conſtipatis diuretica, ut & ipſum opium, ſi diaphoreſis impedita eſt; hinc etiam potus frigidi in febribus ardentioribus citiùs ſudorem provocant, hinc ſæpe calidiora diaphoretica febricitantibus obſunt, ſudoríque (ſanguinem magis magiſque dilatando) adverſantur. *Sudor* ſic in fine paroxyſmorum criticè profluens, quantum materiæ morbificæ coctum & ſubactum eſt, evehit ſecum, atque ſic fit *criticus* ac ſalutaris, de criſi vide lib. 3. c. 3 §. 6. ſi verò nil materiæ ob cruditatem excernitur, & ſudor tamen fit, ſed ſine euphoria ægri, hic eſt *ſymptomaticus*, ſic etiam urina vel fluxus alvi aut vomitus evenit criticus aut ſymptomaticus &c. Ultimò pro Epilogo ſuavi *blandus* ingruit *ſomnus* â pacatis & reſtitutis jam jam ſpiritibus, motuque ſanguinis exorbitante ceſſante, ſenſúſque Morphei imperijs ſuaviſſimis lubentiſſimè ſic auſcultant, & *declinatio* ſequitur, ſi verò nonnunquam adhuc *inſomnia gravia* obrepant, ſignum eſt, ſanguinem non penitùs defæcatum, ægri inde tales ſommô tentati remiſſionem tantùm, non verò ſolidiorem intermiſſionem experiuntur, ubi ſanè metus eſt, ne omnino in continuam abeat febrim.

§. XII.

Nunc *intermiſſionem* ſeu apyrexiam contemplari, ejuſque ſaltem generaliores rationes (ſpecialiores infra ſequentur) aſſignare oportet; Fit autem *Intermiſſio*, eò quòd cocta materiæ morbificæ pars vel diaphoreſi, diureſi &c exterminata fuerit, crudior autem relicta in anguſtias (nam ceſſante calore & fermentatione vaſa rurſus concidunt) amandatur, ubi rurſus hæret, quoad ulteriori morâ factâ denuò aceſcat, febrèmque iterum excitet; plura de quotidianis dabimus. Quòd autem intermiſſio certos adeò & ſtatos circuitus ſervet, & præſtituto tempore reſolvatur, inde eſt, quia quævis materia ad aceſcendum apta, poſitîs ijſdem circumſtantiîs, non poteſt non eodem tempore aceſcere, velut lac, emulſiones &c. aut materia noſtra

mor-

morbifica illis omninò analoga, idcircò ijsdem in corpore locis hærens, eodem calore fota, alijsque circumſtantijs ijsdem prorſus gaudens eôdem neceſſariô temporis intervallô (niſi vel medicamentum aut error aliquis acorem retardet, aut maturet) aceſcit, & ſic *certæ periodi*, puræ ac illibatæ eveniunt; ſecùs autem fit, quando pars aliqua in ſanguine vel remanet, vel aliàs nimia eſt, vel nimis tenuis, & uſque dum cum ſanguine fluctuat &c, hîc tardior enim multùm eſt remiſſio, imò ſenſim vel in continuam ſaltem remittentem, ni etiam acutam mutari poteſt. Quod cæteroquin *intermiſſiones tridui ſpacium non excedant*, ex eo eſt, quia ſanè prorſus impoſſibile, ut v. g. lac, aut illi congener materia (qualis inter cætera eſt noſtra materia morbifica) in tepidis locis (anguſtijs) intra hoc triduum non aceſcat: *Eſſe* penes *intermiſſionem* in quibusdam *breviorem*, in alijs diuturniorem, accidit, quòd materia morbifica pro ejus indole & circumſtantiarum ratione ſeriùs aut citiùs aceſcat, contractionem accerſat vel retardet, Atque ſi materia morbifica mutatis illius & corporis conditionibus citiùs aut ſeriùs in eodem ægro (quàm aliàs materiæ conditio eſt) aceſcit, fit ut *acceſſiones* modò *anticipent*, modò *poſtponantur*, ſic etiam *acceſſiones* ſubinde *erraticæ* obſervantur & enormes, quando ex errore ſex rerum nonnaturalium vel medicamentîs præpoſterè adhibitîs materia morbifica variè quoad qualitatem & quantitatem immutatur, quemadmodum frigus externum, aliáque horrifera, ingluvies, purgantia &c. non tantùm paroxyſmum accelerant, ſed & febris typum invertunt, de quibus infra de febrium intermittentium multiplicationibus etiam agetur.

§. XIII.

Prognoſtica in genere ſunt duplicia, *boni* ſcilicet & *mali ominis*: Utraque deſumuntur vel ab effectis ſeu *conſequentibus*, quò trinum ſymptomatum genus necnon juvantia ac lædentia ſpectant; item *antecedentibus* cauſis tam internis quàm externis, rebus naturalibus & nonnaturalibus &c. & Tertiò *eſſentialiter inhærentibus petuntur*; Præ omnibus verò hîc ſigna coctionis & cruditatis

materiæ

materiæ morbificæ attendenda ſunt, roburque naturæ, & morbi violentia conſideranda.

N, 1. *Fauſta* eſſe poſſunt v g. *ab actionibus integris*, nempe ſi æger ut cunque his bene conſtat, & robuſtus eſt; Surditates ſubitò obortæ harum febrium diſceſſum (nam materiæ morbificæ metaſtaſin) prænunciant, par fere eſt ratio cum ſubitò emergentibus oris puſtulis; Item bonum eſt quocumque modo febres cunctentur, modò & abbrevientur paroxyſmi; pulſus magnus, rythmicus etiam boni eſt ominis. Secundo *ab excretis*, nam alvi fluxus ſuperveniens materiâ jam coctâ febrem brevi ſolvit, quia ſic facilè evacuatur: Sudores fætidi (ſic corrupta materia excernitur) & ij, qui cutem rubore ſuffundunt, & pruriente uredine infeſtant (ſic fermentum febrile attenuatum exitum molitur) plerumque critici ſunt: Item febres hæ nonnunquam (rarò tamen) exanthematibus & abſceſſulis variolæiformibus per totum corpus ſparſis (metaſtaſi factâ) judicantur; par eſt ratio de alijs translationibus; ſic & Eryſipelas ſæpè ſolutionem prædicit, nam materia cruda meliùs percoquitur; Sic & icterus fere meliora auguratur, quippe ſulphur exaltatum generoſiſſimi medicamenti vicem ſubit, morbùmque ſæpius pellit: Ratione urinæ, hypoſtaſis alba & æqualis in urinis auſpicatiſſima eſt, & ægros extra teli jactum ponit, ſignum etenim eſt, materiam coctam excerni, uti & nubeculæ in Urinis meliora ſpondent; Lumbrici ſub morbi exitu ejecti firmam valetudinem (nam cruditates, quibus aluntur, exhauſtas dicunt) brevi futuram præſagiunt. *Ratione antecedentium* magna ſpes habenda in juvenibus, ætate conſiſtente &c. Item in conſtitutione firma, & ſi viſcera ſine labe corruptivâ ſunt; æſtas item adventans, aërve in calido-ſiccum mutatus ſanitatis ſpem (quippe cruditates coquit & abſumit) promittit, Ab *eſſentialiter inhærentibus* bona ſpes haurienda, nam juxta *ſenem* 4. aph. 43. omnis febris intermittens periculô vacat.

N. 2 *Infauſtum exitum* quæ denunciant ſigna pariter ab ijsdem hauriuntur fontibus, v g. ab *actionibus*: Hinc, qui nimis voraces ſunt, cruditates generant, & ſic febrem alunt & pro-

trahunt,

trahunt, uti & ij, qui pleniores potûs frigidi & effæti hauſtus ingurgitant: omnis item inſignior virium proſtratio ſatis luctuoſa eſt; deinde & crebræ anxietates malæ, ingraveſcentes verò fere in extremum diſcrimen abducunt: anhelitus item frigidi in ipſo æſtu triſtes augures ſunt, quemadmodum & convulſiones: *Ab excretis*; *Vrina cruda* præſertim diutiùs perſiſtens nil boni præſagit; coctionis ſigna in Urinis (morbô tamen ingraveſcente) aut materiæ in cerebrum metaſtaſin (rariùs licet) aut ſaltem magnam & gravem illius congeriem in ſanguine ſubeſſe innuunt; *ſudores frigidi* aut febris pertinaciam aut quandoque mortem portendunt: *Sudor partialis* peius facit prognoſticum, ſic & ſudor multus quavis paroxyſmi declinatione ſine ullo levamine effluens vires exhaurit, & ita ægri res in peius ruit; *alvi fluxus* materiâ morbificâ nondum coctâ incaſſùm debilitant, & ſic ſatis pernicioſi ſunt; *Tumores retrocedentes* lugubrium effectuum authores ſunt; *pulſus* quô magis à ſtatu naturali recedunt, eò peiores habentur: *A qualitatibus mutatis* rigor ſecundum *COVM* 4. aphor: 46. incidens ægro jam debili lethale præbet ſignum, dum ſpiritus jam multùm attritos omninò obruit, & ſic vires non ſufficiunt; ſic *alternatio frigoris & caloris frequens* vires multùm proſternit, & fluctuantem cruditatum ſarcinam ſubinnuit. *ratione antecedentium* hæc habeto: urgente hyeme, autumno, aut tempeſtate humido-frigidâ febrium hæc curatio difficilis eſt; item febres contumaciores peioriſque notæ ſunt, & non raro funeſtæ, ſi in ſanguine ſulphuris & ſpirituum magna adeſt penuria;

§. XIV.

Indicationes utiles ſequentes eſſe poterunt; primò *curatoria* febres ipſas in paroxyſmo reſpiciens; ſecundò *præſervatoria* cauſas febrium fæcundas genitrices quaſcunque corrigens & auferens; tertiò *ſymptomatica* ſymptomatibus urgentioribus occurrens, quò non nunquam cura palliativa reducenda eſt, & quartò *vitalis* viribus tam vitalibus quàm animalibus proſpiciens, & quintò damma à febribus illata reſarcienda erunt, quæ omnia tribus

fontibus, pharmaceuticô, chirurgicô, & diæteticô abſolvuntur, prout infra de curatione inſpecie patebit; ſequitur jam

CAPUT SECUNDUM

De FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS IN SPECIE.

DIviſimus has febres in priori cap. §. 6. in periodicas & alias ab aliquibus ſymptomaticas ſeu anomalas dictas, de ijs nunc agemus, & quidem primò de *Tertianis*, quarum aliquæ ſunt *Vernales*, aliæ *Autumnales*; utræque ſunt vel *ſimplices*, quæ ſcilicet intra 48 horas præter propter bis novum cudunt paroxyſmum; aliæ ſunt *duplices* & *triplices*, de quibus infra de ingeminationi bus febrium

§. I.

De Tertiana Autumnali.

N. 1. Huic *definitio* generica cap. 1. §. 2. facilè applicatur, modò aſſignetur tempus autumnale, ac periodus alternis diebus recurrens.

N. 2. *Signa diagnoſtica ſpecialia* hæc ſunt, primò *ab effectis*; hisque à *qualitatibus mutatis*. v. g. omnium freqentiſſimè incipit à tertiana continua cum rigore ſatis intenſo, breviori tamen quàm in quartana, huic ſuccedit calor acris & mordax, qui ſenſum ferit, remiſſior tamen eſt unà cum cæteris ſymptomatibus quàm in tertianis Vernalibus; tardiùs quoque conſpiciuntur coctionis ſigna; urina ſeriùs coloratur; ſudor in declinationibus

(pro-

(prout remiſſiones clareſcunt) fuſiùs emanat: *ab actionibus* appetitus priùs proſtratus paulatim erigitur; remiſſiones tertianarum in quartanas tendentium magis magisque exporriguntur, paroxyſmorum declinationes productiores ſunt, quàm quæ quartanis familiares; acceſſiones 10, 12, 16, vel 18, horis plùs minùs terminantur, plerumque verò extenſiores ſunt quàm in vernalibus: *Signum pathognomonicum & eſſentialiter inhærens* eſt, quòd tertia quavis die reiteret acceſſionem, fit tamen, ut interdum intra hoc tempus bis vel ter reiteret paroxyſmum, & tunc fit *duplex* & *triplex tertiana*, ut c. 1. §. 5. quod æquè de vernali dicendum eſt. *Tertiana duplex alia* eſt, in qua paroxyſmus originalis & emergens alternis diebus; *alia*, in qua eodem die ſcilicet tertiô invadit; illa emergentem acceſſionem habet, quotidianæ paroxyſmum (ideò hemitritæus vel ſemitertiana vocatur) æmulantem, mitior eſt originali: *ſæpe mutatur in quartanam*, cuius mutationis ſigna hæc ſunt, v. g. obſervantur clariores & protractiores intermiſſiones, ſudores in declinationibus promptiùs emanant, ſigna debitæ coctionis deficiunt, & nulla paroxyſmorum alleviatio adeſt: *Tertianam* verò *continuam* in intermittentem vergere denotant, ſi remiſſiones ſereniores ſunt, rigor ingraveſcit, & coctionis ſigna obſervantur.

N. 3. *Eſt morbus*, ut ſupra §. 4. N. 2. diximus.

N. 4. Febres Autumnales multùm differunt à Vernalibus, nam primò æſtatis illæ ſequuntur fervorem, hæ gelidam hyemem; illæ in anni intemperiem humido-frigidam cruditatum feraciſſimam, hæ in calido-ſiccam cruditatibus inimicam delabuntur; tertiò illarum materia ſubitò cumulata eſt crudior & tenacior, harum verò poſt hyemem maturior, & inde ægri hi citiùs convaleſcunt; quartò illæ facilè in quartanas degenerant, ſecùs fit in his; quintò illæ ſegniùs in continuas, hæ levi errore ac ſæpe ſponte in has abeunt; ſextò illæ difficulter, hæ facilè curantur; ſeptimò illæ morbos cacochymicos producunt, hæ ſalutiferæ & quaſi criticæ ſunt; octavò illæ miſellos æſtu & labores confectos, hæ juniores & plethoricos adoriuntur; nonò illæ diætâ & calidioribus aliis perbenè curantur, hæ iſtis non raro in continuas

 faceſ-

faceſſunt; decimò illæ (præſertim in debilibus & ſenibus) periculoſæ ſunt, iſtæ non ita, ni gravis committatur error; undecimò illis ſymptomata ſunt remiſſiora, in his vehementiora, hinc & citiùs curantur; duodecimò in illis paroxyſmi ſunt longiores, in his breviores; decimo tertiò denique in illis debita coctionis ſigna ſeriùs adſunt. Cæterum *diviſio febrium* in *exquiſitas* & *nothas* nulla videtur, quia ſolùm differunt ratione fermenti febrilis, qualitatis, & conſiſtentiæ, ac motûs.

N. 5. *Subiecta* ſuperiori cap. §. 6. tacta ſunt;

N. 6. Uti & *cauſa formalis proxima. Cauſa materialis* eſt etiam dicta materia cruda â ſanguificatione per æſtatem labefactatâ orta, quippe æſtas plures Sulphuris & ſpirituum faſciculos propellit, & ſanguis ideò effætus redditur, cui ſupervenit autumnus anni declinantis impura palus, quæ humido-Frigida cruditates majores vel minores parit: In quibus igitur craſſior chyli portio velut naturæ apoſtata ad arteriarum exiliores ramuſculos ſeu fibrarum tubulos devehitur, ibidem decumbit, ubi aciditate aſcitâ partes ſenſiles eius acrimoniâ tactæ contrahuntur, rigeſcunt, & tandem æſtuant, ut ſupra inſinuavimus; hinc mercenarij, falcarij, meſſores &c. his febribus ſæpiſſimè velut penſô onerantur, idque eò magis, ſi ineunte autumno ingluvioſa humido-Frigida & dyſpepta &c. diæta accedit. *Cauſæ non naturales* & procatarcticæ partim hîc tactæ, partim ex cap. 1. §. 9. deſumendæ ſunt, uti & *naturales* ibidem N. 5. huc ſingulariter facit ipſius ſanguinis ſtatus rarior & laxior, qui particulas ſpirituoſas & ſulphureas liberiùs motitare ſinit, hinc talis ſanguis ab æſtu, motu nimio plurimùm diſſipatur, & ſanguificationi non parùm obeſt, præſertim ſi accedit ingluvies, & ſæpe memorata tempeſtas humido-frigida, igitur ſub atumni exortu cruditates congeruntur, quæ â ſanguine non poſſunt ſubigi, ſed neceſſariò in anguſtioribus corporis canaliculis hærent, & ſi craſſæ, minùs tamen, ſunt, Tertianis autumnalibus iſtis, ſi verò magis craſſæ, Quartanis ortum præbent.

N. 7. His ſtatutis rurſus ſat facilè erit cauſas ſymptomatumdare, nam *Tertiana continua* ab initio *typum ſervat*, quia materiæ morbi-

ficæ tenuiores partes in anguſtijs diu non hærent, ſed in ſanguinem ſemel protruſæ uſque dum fluctuantes perpetuam perturbationem excitant. donec per calorem & fermentationem paulatim ijs abſumptis integriores remiſſiones fiant, & ſic febris in Tertianam veram immutetur; *Rigor brevior* eſt quàm in Quartana, cùm materia hæc tenuior contractioni repellenti promptiùs cedat, & ſanguinem ad æſtum ciendum citiùs ſubeat; *calor acris* & mordax ſenſum ferit, quòd ſanguis impenſiùs diſſolvatur, & ſic particulis ſulphureis major libertas concedatur, quæ tum copiâ ſibi factâ acerrimè ſæviunt, & perniciori motu latæ tactum magis afficiunt, mitior tamen eſt quàm in Vernalibus, quia Sulphur æſtate præcedenti aliquatenus decoquebatur, & materia morbifica limoſior eſt ac torpidior, tempeſtasque humidior, hinc & omnes caloris effectus mitiores ſunt; *Coctionis ſigna* non æque ac in Vernalibus apparent, quòd calor (quâ coctio promovetur) remiſſior ſit, & materia febrilis vernalis domabilior, coctuque facilior; *Sudor in declinatione* fuſiùs emanat, quòd perturbatione imminutâ ſanguis, ejusque vaſa concidant, & hinc ſerum aquoſum eorum compreſſione excluſum profundatur; *Appetitus proſtratus* remiſſionibus clareſcentibus paulatim erigitur, eò quòd œconomia hominis reſtituatur, & omnia quaſi in priſtinum redeant, & liquor gaſtricus perturbationis tempore in ſanguine ſuſpenſus rurſus redintegretur; Quòd verò harum *febrium in Quartanas tendentium remiſſiones magis & magis protrahantur*, eſt, quòd contumacior & craſſior materiæ morbificæ pars minùs ſubacta Quartanam inducens tardiùs aceſcat, & corporis calor (ob Sulphureas partes repetitis æſtibus diſſipatas) imminutus acorem minùs promoveat; *Paroxyſmorum declinationes productiores ſunt* quàm in Quartanis, quia tenuior materia (cùm ſanguinis motus in his febribus vehementior ſit, vaſculaque ob ejus rarefactionem magis diſtenta) vix in anguſtijs ſiſtatur, ab ineunte declinatione pauculæ tantùm eæque craſſiores partes hærent cæteris per meatus etiamnum patulos transmiſsis, quæ cum ſanguine confuſæ æſtum fovent & protrahunt, ac declinatio productior evadit, craſſior autem & compacta Quartanarum

mate-

materia ad primam ſanguinis & vaſorum contractionem ſimul fere & ſemel in anguſtijs impeditur; *Acceſſiones* 10. 12. *&c. horis terminantur* ob cauſæ morbificæ tenuitatem & mobilitatem; *Fit duplex & triplex* (ut quotidiana & quartana) *duplex fit* iterum *dupliciter*, vel eſt duplex, ſcilicet *una*, qua alternis diebus acceſſio eſt, fit, quando quædam pars materiæ morbificæ tenuior & mobilior ad ſanguinem protrudirur, reliqua verò craſſior remanet, hinc etiam paroxyſmus acceſſorius mitior eſt, & feré tantùm partialis, donec crudior etiam repulſa & aceſcens totalem paroxyſmum evocat; *Altera* in qua eodem die tertiò duo paroxyſmi invadunt, rarior eſt, & vocatur duæ tertianæ, cuius ratio aliunde peti poteſt: *Tertiana triplex* (quæ horis 48. habet tres paroxyſmos) *GALENO* & *RIVERIO* ſemel tantùm occurrebat, adeoque rariſſima eſt, adſcribi poteſt jam quantitati jam qualitati materiæ, & huic potiſſimùm.

N. 8. *Prognoſis* hæc eſto: æſtas Fervidior & autumnus humidior peiorem reddit hanc febrem, venæ ſectio, alvi fluxus, omniaque debilitantia & refrigerantia in his febribus perincioſiſſima ſunt, & ægrorum ærumnas protrahunt: â regimine & medicamentis, aere, & diæta calidioribus meliùs habent ægri: curatu ſunt difficiles; vix unquam in continuas ſed malè judicatæ & inueteraſcentes facilè in Quartanam (cum qua conjunctam habent conſuetudinem) degenerant; cæterùm chronicæ ſunt, & plerumque eas cacochymiæ, hydropes, cachexiæ ac Quartanæ pertinaciſſimæ &c. excipiunt.

§. II.

De Tertiana Vernali

N. 1. Definiatur, ut decet.

N. 2. *Noſcitur* 1. *ab antecedentibus*: nam hæ maximè *appetente æquinoctio vernali ſe produnt*, licet per totum ſæpe ver ſubindè invadant; *primus inſultus plerumque Ephemeræ* (nunc obſcurioris, nunc evidentioris) *ſpeciem præſefert*, & ab hujus declinatione dubia quædam valetudo homines occupat, quæ (emeritô unius inter-

intermiſſionis ſpaciô) â rigore verè tertianario excipitur, quô *punctiones ſubcutaneæ* (quæ in præcedanea illa ephemera omninò deſunt) *ſentiuntur*; nullum fere Tertianæ diagnoſticum in perturbatione illa, quæ primas morbi lineas ducit, percipitur: *Ratione motûs*; *rigor brevior eſt, quâm in Quartanis* & magis ſubitò invadit; *veris initiô diuturniores ſunt* & contumaciores quàm ſub illius fine, & æſtate nullæ fere apparent; Ratione *qualitatis mutatæ, calor intenſus* & mordax rigorem ſequitur; *Ratione actionum, ſitis* æſtu ſæviente eſt *inexplebilis*; *reſpiratio intenditur*; *caput dolet*; *vigilant* & non raró *delirant*; *pulſus magnus* & *celer* eſt; *Ratione excretorum*, *vomitus* ſunt plurimum *bilioſi*; *Vrina flava, rubra, aut ruffa*; *ratione modi, acceſſiones vix ultra 12. horas extenduntur*; *â juvantibus &c. conducunt decubitus in lecto, cubiculi tepor, diæta non nihil refrigerans*, quibus ſæpiùs intermiſiſſe viſæ fuerunt, econtra *læduntur nimis calidis, aut vires labefactantibus* utpote Venæ ſectione, diarrhæis, hæmòrrhagijs &c. quibus ſæpe protractæ fuêre, *acceſſiones frequenter anticipant*, præſertim veró dum declinare incipiunt, & licet nonnunquam *ordinem ſervent*, *non ſervant* tamen *ſemper*: *Paroxyſmorum declinationes productiores* ſunt, quàm in Quartanis, & plerumque cum ſudore terminantur: Ut fiat triplex & duplex vide ſuperiorem §. n. 2. &c,

N. 2 *Eſt morbus intemperiei &c.*

N. 4. *Differentiam* ſume ex præcedenti §. n. 5.

N. 5. *Subiectum* ut ſupra.

N. 6. *Cauſa quoque formalis eadem*: *materialis proxima* non eſt bilis 1. quia brumam excipiunt hæ febres, & tellure adhuc gelu rigente, ac in locis humido-frigidis, rariſſimè calido-ſiccis pullulant; Secundo quia quotidianæ febres cruditatibus ſordeſcentes facilè hos tertianarum typos, & econtra tertianæ quotidianarum facillimè ſuſcipiunt, bilis verò in pituitam non convertitur; Tertio quòd æſtate rariſſimè oriantur, hyemi verò appropinquantes diuturniores ſint; 4. â Venæſectionibus &c peiores fiunt & protractiores, quæ cruditatibus non bili adſcribenda ſunt 5. quòd bilis non putreſcat, imò bilis ad rigorem producendum ineptiſſima eſt; 6. tandem in talium febricitantium Urina ſole

cru.

cruditatum conſpiciuntur ſigna, ſed generantur prorſus â cruditate velut cauſa ſupra memorata: *Confirmatur* id etiam *ex cauſis* quibusdam *procatarcticis* has febres excitantibus, cunctis ad cruditates generandas concurrentibus, & fere talibus, quæ ephemeram ſolam excitant, ut ſunt inſolatio, aer fervidus, calor balnei, hypocauſti & ignis; vehemens exercitatio; Nimiæ vigiliæ; Potus aut cibus calidior; Ira; excrementorum retentio, emeticorum & catharticorum operatio, & acrior lucta; bubones, inflammationes, imò & alia, quæ ſanguinem violentiùs exagitant, fundunt, aut reſerant, hæc etenim cruditates priùs ſopitas, ſanguineque compactiore placidè delatas ex illius ſinu elabi, ac in partes abire faciunt, & ſic cruditates jactatæ (uti butyri exemplo &c. comprobatur) ſibi invicem paſſim occurrentes ob lentorem ſuum neceſſario coaleſcunt, ut anguſtias pertranſire nequeant, hærentes & aceſcentes has febres excitant; quòd autem non in omnibus excitentur febres, eſt, quòd dictæ cruditates leni caloris nativi, benigniqùe Veris fotu ſenſim coquantur & abſumantur, igitùr hæ cauſæ potiùs excitantes, non bilioſæ nominandæ ſunt, quòd nullam ſubminiſtrent materiam morbificam; alias tales cauſas ſupra quoque tetigimus. *Inter neceſſarias naturales* rurſus eſt ſanguis nec nimis laxus, nec nimis craſſus id eſt mediô modô ſe habens, & in craſi ſua benè conſtitutus (qualis eſt adoleſcentium) opulentior & magis balſamicus, quàm ut æſtatis & autumni injurias vereatur, hinc in his raræ ſunt cruditates, & ſi quæ etiam ab hyberno frigore enaſcuntur, facilè ſubiugantur vegetiori fermentatione, aut quoque favente Vere & melioreſcente annô ſenſim & tacitè abſumuntur, nec niſi â quadam cauſa jam memorata externa v. g. inſolatione &c febres generantur, nam partes tum crudiores agitantur & in unum (uti cremor lactis agitatus in partes butyroſas) quaſi coagulum abeunt, hincque maiori hac mole anguſtias permeare nequeunt, & producunt ſaltem tertianam vernalem facili negocio curabilem; reliquas naturales vide rurſus c. 1. §. 9.

N. 7. Ex modò allatis levi negocio denuò eruuntur *accidentium rationes*, quippe 1. *circa æquinoctium vernale maximè propullulant*

lædant, nam citiùs ſanguis cauſis excitantibus (obſtante gelidâ hyeme) non auſcultat, & niſi hoc tempore cruditates ſeſe exerant, tunc meliorеſcente anno brevi coquuntur & diſſipantur; *Ephemeram æmulatur*, quòd ab ijsdem fere cauſis excitetur, & vix ulla inſignis ſanguinis commotio circa id tempus contingat, quæ Tertianam non accerſat; *punctiones ſubcutaneæ ſentiuntur*, quia hîc aciditas (antea occulta) ſe manifeſtat; *Rigor brevior eſt* quâm in Quartanis, quia materia etiam tenuior eſt, & facilius in ſanguinem repellitur, quô factô rigor ceſſat: *diuturniores ſunt ab initio veris*, quia tum ob caloris defectum materia tam promptè non coquitur: *Calor intenditur* &c ob ſanguinem Sulphuretum attenuatum & â materia tenui impenſiùs diviſum ac magis calorificum: *ſitis vix expleri poteſt* &c ab intenſo calore, vehementi ſanguinis motu, & magna ſpirituum exploſione & eccentricitate: *Pulſus magnus* ab eadem dependet cauſa; *Vomitus fiunt biliosi* quòd ab intenſiori calore etiam major bilis excrementitiæ proventus fiat, cùm & ipſe ſanguis Sulphureus magis ſit, quæ materia in ventriculum ſecreta vomitum hunc efficit; Inde & eſt, quód *Vrina magis coloretur* & tingatur; *acceſſiones vix ultra 12. horas extenduntur*, quòd fermentum citiùs decoquatur; *quomodo quædam juvent*, *quædam lædant*, adeò facilè patet, ut crambem bis coquerem, ſi repeterem; *acceſſiones anticipant*, quia & tenuior eſt materia, & corporis ac aeris calor aciditatem accelerat; *ſervant ordinem vel non*, prout materia ab accidentarijs conditionibus movetur; *paroxyſmi declinationes productiores* ſunt, quia tenuior materia ægriùs & non niſi ſenſim in anguſtijs hæret, nec ſtatim ſanguinem â perturbationibus liberum relinquit.

N. 8. *Ratione prognoſeos* hæc omnium febrium intermittenttium breviſsima eſt, curatuque ob imminentem æſtatem & benignum ſolis accedentis calorem facillima, imò maximè ſalutifera, totam maſſam ſanguineam ſaluberrimè deſpumans, ſub veris exitu brevior eſt; Ephemera circa æquinoctium vernalem Tertianam utplurimùm denotat; puſtulæ & ulcera in labijs & naribus erumpentia certiora ſunt in hâc quàm alijs febribus ſanitatis ſigna: Quò ardentior eſt, & remiſsiones obſcuriores ſunt, eò facilius

in continuam degenerat, ad quam præ alijs inclinat; cæterùm quò ardentior, eò brevior eſt.

§. III.

De Quotidiana.

N. 1. *Definiatur* juxta ſuperiùs datas regulas.

N. 2. *Diagnoſis* hæc eſt; *febris* iſta *quotidie acceſſiones ſub noctem fere ingruentes* & ſequenti mane à ſolis ortu declinantes, circa meridiem verò apyrexiam aliqualem, non tamen integram ſubeuntes *habet*; paroxyſmi ad 18. plerumque & plures horas protrahuntur; nonnunquam etiam ſæpiùs accedit, & ſic *fit duplex & triplex quotidiana*, quando ſcilicet bis aut ter ac- & re-cedere videtur; à *frigore incipit notabili*, & leviuſculo horrore, *nullo tamen rigore*; *nulli fere dolores* adſunt; *calor mitis* eſt, & ſenſim prorepit, ſegnior & inæqualis eſt, ita ut jam calor jam frigus jam utrumque perſentiatur; *ſitis* eſt *exigua*; *Vrinæ in principio albæ*, tenues & crudæ ſunt, in progreſſu verò craſſiores & coloratiores ſunt; *pulſus parvus*, *tardus & rarus* eſt, adeſt *præcordiorum intumeſcentia*, *inflatio* & *diſtentio*, *viſcera obſtructionibus*, *tumoribus*, *tenſionibus* & infirmitatibus *infeſtantur*; *paroxyſmi nullo* aut minore cum *ſudore* præſertim primis diebus, *deſinunt*, & ſi fit, partialis duntaxat eſt; *graſſantur præcipuè circa ſolſtitium hyemale*; â juvantibus *paroxyſmi non rarò evocantur â frigore externo & ingluvie*: faciei & cutis pallor fere (ſi acceſſionem dictam quotidianam addis) ſignum pathognomonicum & eſſentialiter inhærens præbet.

N. 3. Eſt *morbus* &c.

N. 4. *Differentia* hujus ab alijs febribus non difficulter rem paulò penitius examinanti innoteſcet.

N. 5. Subjectum per ſe notum.

N. 6. *Cauſa formalis* rurſus *ſunt Spiritus* ſed non tam impetuoſi ac violenti, at *materialis non ſtatuitur* illud ſupra aſſignatum *acidum*, dum corporis calor in hac remiſſior eſt, quàm in tertianis, acida item in his febribus curandis (utpote quia dividunt)

auſpicatiùs adhibentur , dein nec aciditatis ſigna v g. dolores mordaces, rodentes &c. adſunt, ſtatuenda eſt ergò alia cauſa materialis, quæ revera alia non eſt quàm ipſa *quantitas*, quæ gravandô quotidianarum frigus & horrorem inducit , quippe & ipſa harum febrium materia frigidior , quia pituitoſior eſt , & immenſa cruditatum congeries calorem ſupprimit; *modus* autem, *quô hanc febrem generat* , hic eſt , quòd quantitas mole ſua partes ſenſiles laceſſat ad contractionem , nempe ſi in delicatiores illas anguſtias denſiſſimis membranarum plexibus & exquiſitiſſimô ſenſu dotatas magna cruditatum fartura pulſibus vehementiùs arietantibus adigitur, tunc locula illa præter naturam diſtenta omnem rurſùm contrahendi occaſionem attentè expectant , quam quovis modo oblatam ſe reſtituendi causâ arripiunt , & proinde vel ipſius tantùm pulsûs (qui cruditates priùs protrudebat) remiſſio illis contrahendi facultatem concedit , vel leviuſculus aeris afflatus , ſubnocturnum frigus &c. contractionem parit , quæ inchoata facillimè pergit , partim , quia motus eſt maximè naturalis, ad quem partes ſenſibiles admodum proclives ſunt, tum quia ſanguine â dictis partibus aliquatenus repulſo frigus ingraveſcit , quod eaſdem faciliûs contrahit , contractione invaleſcente ſanguis magis magiſque repellitur , ubi dum illius compagem plurimùm confundendo & interturbando particulis calorificis ſæviendi occaſionem ſuppeditat, æſtumque movet, idque eò magis cùm mihi probabile ſit, materiam hanc cruditatum copioſam non omni (etiam minimâ) omninò aciditate deſtitutam eſſe : *Probant* hanc cruditatum copiam ipſæ *cauſæ procatarcticæ* , quæ juxta omnes eæ ſunt, quæ cruditates potenter cumulare queunt , ut ſunt aer frigidohumidus , tempus hyemale ; alimenta humido - cruda , dyſpepta , nimia ingluvies , pigritia & ſocordia , mæror , ſomnus longus , & pomeridianus , longa navigatio : Item res *naturales neceſſariæ* , v g. temperamentum pituitoſum ; mucoſa & ſuccida puerita ; craſſus, mollis, obeſus aut cacohymicus corporis habitus ; ſenectus, præſertim verò ſanguis craſsior & torpeſcens, qualis eſt in obeſis, craſsis & infantulis, qui in æſtate (quòd ſulphur & ſpiritus ab æſtivo calore debitè tantùm exſuſcitentur) meliùs ſe habent , & ad

ad autumni injurias debellandas quatatenus præmuniuntur, at verò tempeſtate in dies in peiùs ruente (correſpondente ſubjectorum temperie) cruditates ſenſim denuò comulantur, hyemeque tandem ingruente ſanguis crudioribus particulis magis, magisque oneratur, miſereque tandem obtorpeſcit & ſegneſcit, nec ampliùs chylum eouſque ſubigere & in ſinum ſuum aſciſcere valet, quin non craſsior remaneat, & copioſior, quâm ut per anguſtias, in quibus tum hæret, adigi poſsit, unde febres intermittentes quotidianæ enaſcuntur, quæ magnâ cruditatum vi inſtructæ ſunt, tacitis enim incrementis in magnam congeriem aſſurgunt, priusquam febrem inducant.

N. 7. Hîs diductîs *ſymptomata ſic explicabis*; *acceſſiones quotidianæ ſunt, & intermiſſiones breviſſimæ*, quia larga materiæ morbificæ quantitas ſenſiles partes continuò ſollicitat, cui cruditatum quantitati ſæpe externum frigus v. g. nocturnum, vel introitus in lectum frigidum ſuppetias fert, hinc noctu fere ingruit; ad *meridiem apyrexia* fit, quòd tota duratio 18. fere horis ſit, & ad ſolis occaſum plerumque incipiat, *paroxyſmi productiores* ſunt, nam copioſa & torpida materia ſenſim æſtum promovet, & ſerius abſolvit; *triplices* autem & *duplices acceſſiones* nil aliud ſunt quàm quotidianæ longior acceſsio, toties ab horroribus ſupervenientibus interrupta, quod exinde patet, 1. quia horrores intervenientes in ipſo æſtûs ſtatu & vigore, (nullâ priùs declinatione factâ) ſubitò invadunt, Secundo, quòd hæ acceſsiones emergentes primariâ breviores ſint, Tertiò quòd ſi in his materia morbifica medicamentîs, anni clementiâ &c imminuatur, tunc rurſùs fit quotidiana ſimplex; â frigore incipit non rigore, quòd quantitas ſingularis, non aciditas peccet; *dolores abſunt*, quia quoque nec aciditas vera nec humorum acrimonia adeſt; *calor mitis* eſt &c quia partium contractio & inde materiæ morbificæ repulſio (nulla quaſi in hac febre urgente aciditate) ſegnior eſt, & ſic pigrior materia in ſanguine aliàs torpeſcente tardiùs calorem excitat, inde & *ſitis exigua*; *Vrina in principio albicat*, velut in morbo crudiori omni fit, at ob repetitos æſtus & materiæ coctionem quatatenus factam tandem etiam craſsior & coloratior

ova-

evadit; *pulſus rarus*, & *tardus* etiam ob remiſsiorem ſcilicet ſanguinis motum, & inde enatum minorem calorem eſt, *parvus* autem quia ſanguis notàbiliter non dilatatur; *præcordia diſtenduntur* &c â flatibus ex cruditatibus & ventriculi pituitoſis ſordibus languore ortis, inde & ventriculus malè habet, ideô & *viſcera obſtructionibus tentantur*, quòd cruditates in ijs ſtagnent, & flatus etiam uberiores proveniant; *ſudor nullus effluit*, partim quòd pori copioſis cruditatibus obturentur, partim quòd ſanguinis motus languidior ſit, nec priùs dilatetur, hinc & ſubſidentia ac ſeri expreſsio minor, præſertim quòd integra apyrexia non ſubeat; *circa ſolſtitium hyemale* cur magis infeſta ſit, ex ſupra allatis erui poteſt, & ſi hîc non evenit, tunc poſt menſem unum vel alterum fauſtô ſolis acceſſu minuuntur cruditates, & febris vix (niſi forte tertiana vernalis) emergit; *Externum frigus promptè paroxyſmos parit*, quia & promptè contractionem partium infert, hinc & *nocte fere ingruunt*, quia hoc frigus magis ſubitum eſt, & etiam ob præcedentem ſolis occaſum notabile; *Ingluvies* & paſtus plenior paroxyſmum ob ſolam quantitatem, quam ſuppeditat, *accelerat*.

N. 8. *Prognoſim* hujus hanc dabis; *febris iſta curatu difficilis* eſt, impedit enim curationem ingens cruditatum copia, anni tempeſtas naturæ infenſa, & ſanguis humido-frigidus, qui debiliter coquit, & alterantibus medicamentis difficulter cedit; ſi medicamentis aut aeris mutatione vel artifitiali corectione non curatur, *deſinit fere per ſe in vere*, eò quòd novæ non ſuccreſcant cruditates, & priùs congeſtæ febrili æſtu & calore ſolis in dies magis, magiſque coquantur, & amandentur; *modò tertianam ſequitur, modò eam præit*, id fit, quando Tertianarum materia in tantam molem ſuccreſcens, quanta ad partium contractionem ex ſe (ſine abſoluta aciditatis ope ſufficit, tunc quotidiana acceſſio efficitur; hoc verò evenit, quando quotidianæ materia adeò imminuitur, ut aceſcat priùs, quàm eius quantitas contractionem & hinc horrorem pariat & Tertiana producitur; hinc ſi in Tertianam (maximè in vere) mutatur, optimam ſanitatis ſpem facit; *pituita vomitu aut per alvum reiecta bonum ſignum præbet*, ob dictam imminutionem; *quò provectior hyems, eò quotidiana brevior*; *Tumores præſertim hy-*

pochon-

pochondriorum ſæpiùs hujus quàm aliarum febrium *diſceſſum prænuntiant*; *facies magis florida* & naturali rubore perfuſa *melioribus prognoſticis annumeranda eſt.*

§. IV.

De Quartana.

Quartanæ, & ſi ſæpe tertianarum autumnalium ſint ſoboles, dantur tamen & aliæ ſcilicet *originales*, *& primigeniæ ex ſe pullulantes.*

N. 1. *Definitio* mutatis mutandis formetur,

N. 2. *Signa Diagnoſtica ſpecialia* hæc ſunto: inprimis *eſſentialiter inhærens* eſt quartanarius circuitus, nam eſt ſignum pathognomonicum, fit tamen & *duplex*, quando ſcilicet duo paroxyſmi duobus diebus continuis febricitantem adoriuntur, tertiò die verò nulla acceſſio fit: quæ tertio die invadit, propriè tertiana dicenda eſt, & partialem fere paroxyſmum facit: quæ verò Quartò Quartana propriè eſt, & totalem facit; *duplex* fit, cùm in veros & originales Quartanæ paroxyſmos alij duo diebus intermedijs ſe proferunt, adeò ut febricitans nullo die febre vacet; cæterùm *paroxyſmus* ferè *ſenſim incipit* cùm *oſcitatione*, *pandiculatione* & *corporis* moleſta *gravitate*, quam *frigus* excipit, deinde *horror* & *rigor*, qui paulatim ingraveſcentes altiusque ad oſſa ipſa penetrantes *dolorem* oſtocopum id eſt oſſifragum afferunt, *dentes* vehementiſſimè *concutiuntur*; tandem *calor paulò remiſſior* quàm in Tertiana ſubſequitur, magis *inæqualiter procedit*, videturque *cum frigore quaſi commixtus*; *cum ſudore declinat*; *declinatio brevi abſolvitur*; *intermiſſio integra eſt*, & illibata; *corpus in intermiſſionibus magis alget*, quàm in alijs febribus; *Vrina eſt* tanquam *ſani hominis*, ſæpius tamen præſertim in cholericis (in quibus ſubinde calor intenditur) poſt paroxyſmos ruffeſcit, *appetitus* ſat *viget*; propterea *vires* quoque magis *Conſtant*; *ætate grandiores* ſæpe *corripit*;

N. 3. Eſt morbus notus.

N. 4. Differentia ab alijs per ſe luculenta eſt ; alia dicitur etiam continua , licet vix detur.

N. 5. Subiectum ex ſuperioribus eluceſcit.

N. 6. *Cauſa formalis* jam ſæpe tacta ; *Cauſa materialis* non eſt melancholia , at verò graviores & craſſiores magisque lentæ cruditates , quas ex ſuperioribus facilè haurire poſſumus. *Remotiùs* cauſa eſſe poſſunt omnes febres præſertim autumnales diuturnæ & malè judicatæ , imò & omnes fere morbi chronici â mœrore præſertim provenientes. *Inter cauſas procatarcticas* ſunt omnia ea , quæ humorem (veteribus dictum melancholicum , nobis acidum *HYPPOCRATIS*) id eſt ſanguinem ſpiritibus & Sulphure orbatum gignunt , ut ſunt aura maritima , paludoſa , halitus ſalini, æſtas fervida, autumnum frigidiorem præcedens ; Secundò alimenta craſſi ſucci , & omnia dyſpepta , viſcidiora tenacia , carnes & piſces fumô indurati , animalium cutes, pedes & partes membranoſæ , caro anſerina , porcina , hircina , caſeus vetus&c. longa item jejunia ; labores vehementes, intempeſtivi ac importuni ; nimiæ evacuationes, ut hæmmorrhagiæ, alvi profluvia ; vigilia protractior ; ac denique paſſiones animi mæſti & triſtis. *Inter naturales neceſſarias* eſt ipſum temperamentum cholericum & melancholicum appellatum ; inter anni tempus autumnus & hyems &c. & ſingulariter ſanguis rarior & laxior , ut ſupra hoc in capite §. 1. n. 6. memoratum eſt.

N. 7. *Cauſas ſymptomatum* quod attinet, has ſiſto, *circuitus Quartanarius eſt* , eò quòd materia craſſiſſima & gravis ac in corpore frigidiori tam ob Sulphuris & ſpirituum inopiam , quàm intermiſſiones calore febrili planè immunes hoſpitetur , idcircò valde lentè aceſcat ; *multiplicatur* (de qua multiplicatione mox) quià recens materia copioſa veteri apponitur , quæ emergentes facit paroxyſmos , Quarto verò aceſcens intenſiorem & graviorem rigorem Quartanis familiarem provehit : *Paroxyſmi ſenſim incipiunt* , quòd aciditas in craſſa materia, algidoque corpore plurimùm ſegneſcat , & ſenſim tantùm provehatur , huiusmodique materia in ſanguinem repulſa non promptè adeò æſtum accerſat; *oſcitationes pandiculationes infenſæ* ſunt, eò quòd craſsior eiuſdem

ma-

materia paſſim inter muſculos, eorumque membranas firmiùs hæreat, quàm ut ſtatim excutiatur, idcircò dictas partes diutius & importuniùs laceſſens oſcitationes & pandiculationes (actiones depravatas) moleſtiſſimas generat; *corporis gravitas, dolorque oſtocôpus*, nec non & *dentium concuſſio* patent ex doctrina de rigore ſupra traditâ; *calor remiſſior* explicabitur ex ſuperioribus; *inæqualis* autem *&* quaſi cum *frigore comixtus* eſt, quòd partium contractio non ſtatim compactiorem minusque morigeram materiam exprimat, ſed pars una in minutulis ſuis apothecis hærens frigoris ſenſum inferat, dum pars altera repulſa calorem inſignem ſuſcitat; Quâ ratione *remittente æſtu ſudor prorumpat* ex ſæpe allatis elice, & quia magis præceps eſt declinatio, ideò & ſudor fuſiùs profunditur; *breviſſima eſt declinatio*, cùm materia craſſa rurſùs citiùs & promptiùs in anguſtijs hæreat, & ſanguinem â perturbationibus liberando declinatio expediatur; *Intermiſſio ſincerior eſt, vireſque & appetitus magis conſtant*, quòd tota maſſa ob craſſitiem in anguſtijs hæreat, nec inter paroxyſmos ſanguinem, conſequenter nec ventriculum infeſtet; *Urina â ſanâ non abludit*, quia in intermiſſione ſanguificatio non multùm labefactatur, æſtusque brevis nec intenſus fit, in cholericis ob majorem adhuc Sulphuris copiam diviſam rubeſcit poſt paroxyſmos; *ætate grandiores* (quia nempe temperamentum fere corroſpondet) *corripit* potiſſimùm.

N. 8. *Ratione prognoſeos* ſcito, quòd *Quartana* chronicum ſit malum, & omnium febrium *curatu difficillima*, nempe ob materiam compactiorem & craſſiorem ægrè coquendam; *æſtiva brevior* eſt, partim quòd originem cauſæ alicui emergènti & fugaci debeat, partim quòd calor æſtivus ante hyemem ſæpe eam abigat; *In autumno incipiens plerumque tota hyeme durat*, ut plurimùm tamen proxima æſtate deſinit, *multæ* etiam *ad unum ac alterum annum* (maximè ob errorem diætæ vel medicamentorum) *perdurant*; ſæpè *in icterum nigrum* nominatum, aut *hydropem degenerant*, præſertim ſi viſcus aliquòd tumore & ſcyrrhô occupatur; econtra *Quartana* juxta *COUM* 5. aphor. 71. *ſi Epilepſiæ ſuperveniat, eam ſolvit*; ſic & *Quartanarij non facilè convulſionibus capiuntur*; *Senes*, plùs

quàm

quàm ſexagenarij præſertim, *ut plurimùm à Quartana moriuntur*; *hæmorrhagia magnam fere cachexiam indicat*; *Quartana in continuam mutata fere lethalis eſt*, nam ægri ſic Sulphure ſanguinis conſumpto, viribusque exhauſtis impetui febris continuæ ſuccumbunt.

§. V.

De Febrium intermittentium multiplicationibus.

N. I. *Febres*, ut jam in ſuperioribus audivimus, nonnunquam *fiunt duplices & triplices*, *ideò ſic dictæ*, quòd inter ſimplicium intermittentium proprias & primarias acceſſiones aliæ priús non obſervatæ (ſervatô aliquali circuitûs ordine) pullulent, quas *emergentes* ſeu adventitias jure nominare poſſumus, vel cùm ſingularis paroxyſmus in plures dividitur, ut dictum eſt de quotidianis; hæ emergentes ſemper primariæ febris nomen ſibi vendicant, utcunque â ſe invicem abludant; de his tractare difficilis eſt quidem provincia, ut pro viribus tamen noſtrum conatum ſaltem addamus, perpendendum erit, quòd variæ ſint materiæ morbificæ conditiones, quippe ea eſt vel *tenuis* vel *craſſa*, vel *mediocris*, quò ergo tenuior eſt, eò etiam fluidior ac mobilior exiſtit, inde quoad motum inteſtinum citiùs aceſcit, & quoad progreſſivum velociùs in ſanguinem promovetur, & ſic paroxyſmum accelerat, contrarium evenit in craſſa; Secundo *materia* dicta *eſt* vel *copioſa*, vel *pauca*, vel *mediocris*, quò copioſior, eò citiùs contractionem & inde paroxyſmum evocat, ut de quotidianis videre eſt, contrarium quoque fit in parciori; Ex quibus neceſſariò concluditur, quòd ſi in aliquo ægro varia ſit materiæ morbificæ conſiſtentia, quòd quoque paroxyſmi variare queant, hinc ſi tenuis eſt, & levis fit contractio, partialis fit paroxyſmus, ſi verò etiam craſſior excutitur, tunc & paroxyſmus fit totalis. *Cauſa hujus dupli- vel triplicationis externa* eſt vel error curæ vel diætæ; *error curæ eſt*, qûod intempeſtivè ſpecifica maximè figentia (quale eſt ſpecificum antefebrile *STROBELBERGERI* & *CROLII*) vel inconſideratè opiata, vel acriora præ-

ſertim purgantia vegetabilia ante coctionis ſigna , movendo quidem non promovendo, aut fermentum febrile eneruando, aut evacuando propinentur , præſertim in Quartana ; *Error diætæ* fit , dum ægri ante paroxyſmum cibant , vel lacticinia bibunt , carnes, qva ſorbilia &c commedunt , vel durante eò præmaturé commedunt , vel etiam dum intermiſſionis die copioſiora alimenta aſſumuntur , vel quando fructus horræi alijque cibi facilè fermenteſcibiles vorantur , quibus omnibus febres multiplicari poſſunt.

N. 2. *Ratione veræ computationis* in intermittentibus notandum, quòd plerique malè tantùm diebus computent , nam horis potiùs, computus faciendus eſt , ut eò meliùs & acuratiùs de ejus duratione judicium faciamus ; ſæpe enim in Tertiana intermiſſiones 24. diſcrepare poſſunt , & tamen eſt Tertiana ; vg. febris die martis hominem invadit horâ nonâ veſpertinâ, paroxyſmus extenditur 12. horis , & proxima vice die Jovis horâ nonâ matutina , ecce intermiſſio erit 24. horarum ; deinde in unô primo die fit invaſio horâ 9. matutinâ, altera vice horâ 9. veſpertinâ , hæc intermiſſio erit 48. horarum , tamen utraque febris Tertiana eſt.

CAPUT TERTIUM
De
FEBRIBUS ANOMALIS

HAs enumeravimus c. 1. §. 5. agitque de ijs *Sylvius* in ſua praxi lib. 1. cap. 30. §. 7. & ſeq., vocamus *anomalas* , id eſt inæquales, quòd nec tertianis ſolis, nec alijs ſolis , ſed omnibus febribus ſeſe aſſocient, earùmque typum ſequantur , & quia ſæpè (velut ſymptomata urgentiora ſolent) manum medici præprimis efflagitant , ideò de his ordine pauca dare placet.

§. I.

§. I.

De Febre algida.

Hæc eſt febris per totum paroxyſmum aut ſaltem partem eius maximam frigore & horrore affligens. *Diagnoſis* patet, uti & *morbus*, *differentia* & *ſubjectum* ac *cauſa formalis*; *Cauſa materialis* eſt materia valde craſſa, in ſanguine plurimùm confecto, & ſulphureis particulis ac ſpiritibus ſpoliato hoſpitans, quæ longo niſu ad ſanguinem detruditur, & in eo etiam æſtum ſenſibilem tam ratione ſui quàm ipſius ſanguinis effæti ſuſcitare nequit; *Cauſæ antecedentes præternaturales* ſunt diuturnæ febres, immodicæ ſanguinis effuſiones, ac magna ſulphurearum balſamicarum particularum & ſpirituum deſpendia, applicari etiam quædam poſſunt, quæ præcedenti §. ſub n. 9. adduximus. *Prognoſis* ſit. hæ febres pertinaciſſimæ & plerumque fatales ſunt, quòd materia hæc craſſa â tam inerti & quaſi frigido ſanguine difficillimè ſubigatur, & hinc requiſita ſpirituum expanſio proſternatur.

§. II.

De febre Ardente.

Hæc eſt febris levi & ſubinde interpolato horrore, ſed adore fere ſummo per totum fere paroxyſmum (ita ut vix videatur remittere, dum novus paroxyſmus ingruit) affligens, fere tertianaria continua &c. *Cauſa materialis* eſt materia levis & tenuis, ſanguiſque valde ſulphureus ſpirituoſus, & vegetus. *Cauſæ ſymptomatum* ſunt v g. *frigus* ob materiam tenuem mox in ſanguinem repulſam vix *ſentitur*; *ſummus ardor* fit, quia ſanguis ſulphureus & ſpirituoſus momentò quaſi impenſiùs diviſus particulis ſulphureis debacchandi facultatem concedit, & ſic furit. *Prognoſis*; febris hæc eſt breviſſima, ſed ſimul metuendum, ne in continuam perfectam degeneret.

§. III.

De Febre Aſthmatica.

Eſt febris maxima ſpirandi difficultate, imò & ingenti ſuffocationis metu affligens; *Noſcitur*, quòd tales affecti fere erecto corpore & ſedendo in lecto aerem captent: ſonora ſimul & clangoſa eſt reſpiratio; tandem ſine excretione notabilis materiæ ceſſat; æger dormit ac bene habet, ut in Generoſiſſima quadam vice - Colonelliſſa expertus ſum, quam febris periodicè circa mediam noctem afflixerat: *Subjectum* ſunt pulmones ac aliæ reſpirationis partes præſertim nerveæ; *Cauſa formalis* ſcitur, *materialis* eſt pituita lenta in dictis partibus aceſcens, & ſpaſmodicè eas contrahens: cauſæ ſymptomatum hæ ſunt: *maxima adeſt ſpirandi difficultas, & ſuffocationis metus*, quòd hoſtili materiæ febriferæ præſentia pulmones & thorax ſe ſtringant, ac minùs pro admittendo aere dilatare poſſint, hinc *erecto captant aerem corpore*, quia ſic ſaltem aliqualiter meliùs reſpiratur; tandem ſine notabili materiæ rejectione malum ſolvitur coctâ ſcilicet & ſubactâ materiâ febrili, hinc omnia etiam ad frugem redeunt, metuenda *ratione exitûs* ſuffocatio.

§. IV.

De Febre Anheloſa.

Hujus cum aſthmatica fere par eſt ratio, niſi quòd minutiores & frequentiores ſint reſpirationis niſus, ac â flatuum copia ferê proveniat.

§. V.

De Febre Arthritica.

Eſt febris cum doloribus arthriticis magis in paroxyſmo, minus in remiſſione affligens, doloribus nilominùs curata febre plerumque perſiſtentibus; *ſymptomatica* utique eſt hæc febris, nam excitatur ab arthritica affectione.

§. VI.

§. VI.

De Febre Catarrhali.

De hac agitur ex condicto de febribus continuis, ideò hîc ſilemus.

§. VII.

De Febre Cardiaca,

Eſt febris cum animi deliquijs ex dolore circa ſuperius ventriculi orificium inexplicabili orta; *Cauſa* eſt liquor acrior ibidem efferueſcens, unde ob nervorum delicatiorem plexum id exquiſitiùs ſentit, & animi deliquia infert.

§. VIII.

De Febre Dejectoria.

Eſt febris frequentioribus, quandoque etiam torminoſis dejectionibus diverſo acceſsûs tempore valde moleſta; *Cauſa materiales* ſunt vel ſeroſi humores calore febrili colliquefacti, vel bilis è ciſta fellea ob corporis compreſſionem ad duodenum deturbata, præſertim ſi ob repetitos æſtus ſanguinis ſulphur exaſperatur, & inde illa acrior redditur &c.

§. IX.

De Febre Delira.

Eſt febris intermittens ardentior ægros delirijs urgente calore (rariùs frigore) poſt capitis dolores & vigilias graviſſimè torquens, æſtu verò declinante, ſomnoque obrepente ab his libera; *Cauſa* formalis ſunt ſpiritus perturbati; *Materialis* materia febrilis in cerebrum per metaſtaſin lata, ſeu meningum inflammatio, & ſpirituum inordinatus motus.

§. X.

§. X.

De Febre Epiala.

Eſt Febris ægros ſimultaneo rigore & æſtu crucians; familiaris omnibus quidem febribus, magis tamen quartanis & quotidianis duplicibus & triplicibus; *noſcitur* vel inde, quòd horror æſtum derepentè excipiat; ubi hic nondum reſtinctus in omnibus partibus ſentitur, & tamen horreſcunt partes eodem tempore; *Cauſa materialis* ſatis explicatur c. 2. §. 4. n. 7. ubi de inæqualitate caloris diſcurritur. *Febris* hæc ob materiam crudam nimis copioſam *fere calamitoſa eſt.*

§. XI.

De Febre Emetica.

Eſt febris vel durante adhuc frigore, vel præſente calore, frequentiori continuô vel interpolatò vomitu infeſta; *Cauſa* eſt aciditas acris ventriculum vellicans, & cruditatum immunda congeries, nec non ſeroſus acris humor ejus cavitatem conſpurcans, ac ſingulariter bilis acrior ex folliculo fellis duodenum adeò proritans & lancinans, ut motu periſtalticô inverſô in ventriculum ſublevata (Emetici more) & eiusdem tunicas ad motum planè convulſivum ſollicitet, quô ſaburra bile tincta per os quaſi ê librata machina rejicitur; apparet ex hoc bilem duntaxat effectum, non cauſam febrium harum eſſe.

§. XII.

De Febre Lipyria.

Hæc febris eſt ſuo calore interiora viſcera ſatis urente, frigore verò externas partes ſatis infeſtante diſcrucians; *Cauſa materialis* eſt pars quædam exteriùs frigus, pars alia interiùs æſtum cauſans; accidit, quòd cruditates interiorum partium citiùs in ſan-

guinem

guinem abſorbeantur, hinc æſtus citior, & econtra aliæ in externis diutiùs hæreant, hinc frigus: Alia ſed plurimùm præternaturalis eſſe poteſt interna inflammatio, ſed *hic* fere *deſperatus eſt caſus*, gangrænam enim innuit.

§. XIII.

De Febre Micturiente ſeu Vretica.

Eſt febris ægros continuâ fere mictione infirmans: *Cauſa materialis* eſt ſerum ob præpeditam diaphoreſin uberiùs per renes transcolatum.

§. XIV.

De Febre Maniaca.

Eſt febris cum furore quodam peculiari ac ſui generis maniâ moleſta; *ſymptoma* eſt, quod juxta *SYDENHAIMUM* non tantùm purgationibus & evacuationibus alijs quibuscumque, V. S. præſertim cedere dedignatur, ſed etiam ab illis increſcit; morbus ejus ſunt diuturniores febres intermittentes, præcipuè verò quartanæ, ſæpiùs â febris diſceſſu notatur, obſervatur tamen etiam adhuc ſæviente febre circa finem: *Cauſa formalis* ſunt ſpiritus nonnihil extatici, *materialis* verò ſulphur deficiens, & torpida materia aucta cum aſperitate conjuncta.

§. XV.

De Febre Præfocante.

Eſt febris ſuffocationis ſenſu moleſta, & aliquando (rariùs licet) ſpiritum prorſùs præcludens, ægriſque vitam adimens; fæminis præ viris familiaris; *Cauſa materialis* eſt aciditas partes reſpirationi inſervientes conſtringens; *prædiſpoſitiva* verò eſt affectio hyſterica, meliùs hypochondriaca.

§. XVI.

De Febre Sicca.

Eſt febris paucô vel nullô ſudore percurrens; hæc ſemper eſt vel ê quotidianarum vel tertianarum exquiſitarum genere; familiaris etiam febribus ardentioribus continuis; cauſas ex ſuperioribus erue.

§. XVII.

De Febre Siticuloſa.

Eſt febris clamoſa & inextinguibili quaſi ſiti importuna, de qua vide ſupra c. 1.

§. XVIII.

De Febre Sudatoria.

Eſt febris ſudore totius vel partis cujusdam nunc Calidô (rariùs frigidô) ſupra modum profuſô moleſta: cujus *Cauſa* eſt inſignior ſanguinis & vaſorum contractio, ſeu item tenuitas, acrimonia & copia.

§. XIX.

De Febre Sputatoria.

Hæc dicitur & ptyalodes, eò quòd huic copioſa valde ſputatio conjuncta ſit, cuius *cauſa* eſt ſerum copioſiùs verſus os protruſum & ſecretum.

§. XX.

De Febre Syncopali.

Eſt febris una cum paroxyſmo ægros ſyncope affligens, & ſubinde in vitæ diſcrimen præcipitans, imò nonnullos (& ſi rarò) è medio tollens; *Cauſa formalis* eſt deficiens ſanguinis im-

pul-

pulmonibus & corde ſpiritualſcentia ; *materialis* verò eſt materia acida partium compreſſione nimis præcipitanter in ſanguinem repulſa, eumque nonnihil incraſſans ſaltem motum inhibens, donec ſpiritus & ſulphur partim aciditatem leniendo & ſubjugando partim calorem promovendo (inſtar cardiaci ſpirituoſo-ſulpharei) incraſſatum ſanguinem diſgregent, ſpiritus quaſi ſopitos expediant, & ſic ſincope profligatâ mox calor redeat & augeatur: *Cauſa prædiſpoſitiva* eſt ſanguis ſulphure balſamicô privatus & econtra partibûs tenuibus ramoſîs oneratus.

§. XXI.

De Febre Tuſſiculoſa.

Vocatur & *becchica* quòd febricitantes mox ingraveſcente paroxyſmô (ut propriô damno in quartana expertus ſum) tuſſi ſicca (rariùs humidâ) perturbentur: *cauſa* eſt acidum bronchia & aſperam arteriam irritans; humida cum catarrhalibus incidit.

§. XXII.

De Febre Torminali.

Dicitur & *Colica*, quæ paroxyſmantibus graviſſimis ventris torminibus & colicis more intermittentium febrium ægros lancinat: *Diagnoſis* eſt, *dolor dum incipit mitior* eſt, *increſcit* paulatim, & dum *in ſtatu* verſatur, *enormis* eſt, deinde rurſus *decreſcit* ac in intermiſſione ægri bene habent; *Cauſæ* ſunt acidæ particulæ inteſtinorum tunicis infixæ etiam bilioſæ exorbitantes. *Prognoſis* eſt, niſi doctè tractentur paratici fiunt, imò etiam convulſi moriuntur, ut exemplum cum 3. taliter febrientibus oſtendere poſſem, Quartum ſimili febre quartanariâ affectum more febrium intermittentium tractavi, ac feciliter febrem brevi averruncavi, ac reſtitui; Hæ ſunt potiores febrium anomalarum ab authoribus recenſitarum differentiæ, poſſunt tamen pro varietate ſymptomatum longè plures, ut ex praxi 20 & plurium annorum habeo

beo aſſignari; vivit hîc Religioſiſſimus quidam Vir mihi multis titulis ſuſpiciundus, â ſuis jam ad ſummum dignitatum culmem ob eximias animi dotes evectus, qui ſingulis ternis annis circa æquinoctium vernale febre hæmicranica corripi conſueverat, ex qua ab aliis medicis etiam omnibus cephalicis & anodynis (dolor enim lenſu acreſcens in ſtatu vix tolerabilis erat) imò etiam varijs torturis medicis liberari non poterat, ego verò huc accedens conſideratâ periodicâ acceſſione facilè jam ter ſolis febrifugis feliciter reſtitui & ab ulteriore malo præſervavi: Tractavi non ita pridem honeſtiſſimam Virginem, quæ ſingulo mane febre cephalicâ correpta, etiam antifebrilibus præter omnium expectationem â me brevi curabatur: Simili methodô in ja mea praxi *SEGGINGÆ* curavi Nobiliſſimam Matronam, quæ circa quodlibet æquinoctium horrendâ colica hyſtericâ ſeu convulſivâ affligebatur: Par eſt ratio de reliquis accidentibus, odontalgia, ſopore &c, quæ ſeſe febribus aſſociare queunt, de quarum cura infra.

§. XXIII.

De Febre Intermittente Maligna.

Dari talem evincunt frequentes obſervationes apud *SENERTUM* de tertianis, *EPIPHANIUM FERDINAND* hiſtor: 85. *RHODIUM* cent. 1 obſer. 9. 10. item *SALMUTH*, qui tertianas contagioſas Epidemicas primò duplices, deinde ſimplices ſudoriferis curatas narrat; tertianas malignas recenſet *RIVERIUS* cent. 4. obſ. 2., item obſer: 36. tertianam intermittentem petechialem habet *FEHRIUS* de ſcorconera pag. 72. Quartanam malignam *HORSTIUS* lib. 1. obſ. 15. tandem interdum Epidemicè graſſari ſolent febres intermittentes ſivè vitio aeris, ſeu alimentorum contrahantur, ut habent *WILLISIUS* de feb: c. 16. & Barthol. cent 2. hiſt. 56. Denique etiam rationi non repugnat, cùm enim etiam morbi maligni ſint morbi intemperiei (non occultæ qualitatis) ſeu turbatæ mixtionis profundioris autem, quàm in alijs febribus, quid obſtaret quod febres intermittentes non etiam poſſent dari malignæ: *COGNOSCUNTUR* quoque ex ſumma viri-

ùm

um proſtratione, cordis anxietate, corporis inquietudine, pulſu debili, nonnunquam mentis perturbatione & exanthematibus.

Cauſa eſt venenata (non tamen occulta) ſeu maligna quædam cruditas, quæ ſubitò & in pauca quantitate actiones vitales deſtruit, motum ac craſin ſpirituum invertit, ſed de hac plura damus alibi.

Prognoſis eſt, quòd hæ febres reliquis intermittentibus ob intimiorem ſanguinis mixtionis reſolutionem & turbationem ſint periculoſiores.

CAPUT QUARTUM

De FEBRIUM INTERMITTENTIUM AVERRUNCATIONE.

ARma (indicationes ſcilicet generales) quibus hoſtis noſter & debellari, vincique valeat, jam ſupra cap. 1. §. ultimò fabricavimus, modò in hoc capite per §. §. os in ſpecie ea ad profligandum exoſum inimicum acuemus, ut eò felicius proſternatur & confundatur.

§. I.

De Indicatione Curatoria ſeu *Quid in paroxyſmo agendum.*

N. 1. Hæc reſpicit (ut ex baſi noſtra medica l. 5. c. *1*, §. 4. & c. 6. habemus) ipſum morbum, & quidem hîc intemperiei,

ſeu febrilem paroxyſmum ipſum , Atque cùm hic intemperiei morbus unicè conſiſtat in ſanguine & ſpiritibus idcircò indicans curatorium ad has partes dirigendum erit . Eapropter 1. ſi ſpiritus in tolerabili ſunt conatu (quod ex mitioribus cognoſcitur accidentibus) ac ſanguis non nimis intenſè in ſuo motu eſt auctus, totum negotium ijs ſeu naturæ committendum eſt, ut ſic in ephemera , ſic criſis ſponte cudetur; ſi verò 2. ſpiritus in ferociori ſunt ad materiam morbificam deturbandam niſu, & ſanguis magis magisque (quod ex gravioribus habemus ſymptomatibus) turbatur, tum ſpiritus nimis expanſi & elaſtici indicant more veræ continuæ reprimentia, ſanguinemque nimiùm extenſum coarctantia ; ſi tandem 3. debitus ſpirituum niſus ac etiam vires deficere videntur, in quo caſu languéſcunt , coma & ſudores frigidi ſuperveniunt , ægerque â morbo quaſi victus jam jam lypothimicè animam efflaturus videtur, hîc indicatio vitalis attendenda eſt, indicanturque ſpiritus adaugentia & elaſticitatem excitantia, qualia ſunt antihyſterica & cephalica calidiora, 4. ſymptomatibus ſuccurratur, & ſic 5. ſuapte ſanguis turbatus ſuo ſtatui naturali & craſi reſtituetur; ex quibus apparet, quòd durante paroxyſmo præſertim in ſtatu unicè ad vires & ſymptomata attendendum ſit, cùm natura in eo moliatur coctionem , & criſin , quæ non impedienda , ſi tamen quæpiam adhibenda cenſes medicamenta , aut meticuloſior æger ſimilia affectat , ſola confortantia ex perlis corallijs , occulis ♋. antim diaphoret : , bezoar- or- , occ- , & minerali &c. cùm aquis refrigerantibus aut temperatis vel etiam nonunquam magis ſpirituoſis cum confectione alkermes , de hyacintho &c. adhibenda ſunt , in quo eò minùs errabis , ſi tam ratione medicamentorum quàm diætæ ad triplicem ſupra dictum ſanguinis (v g. rarioris, craſſioris , mediocris) ſtatum , item morbi tempora attendis.

N. 2. Ex allatis per ſe liquidum eſt , *in ipſo paroxyſmo* ex fonte pharmaceutico *nec purgantia* (utpote quæ â turbata ſanguinis mixtione manifeſtò contraindicantur) admitti poſſe , *nec* etiam abſolutè *diuretica* aut *vehementiora diaphoretica concedenda eſſe* , at totam provinciam fere concredendam naturæ , penes quam erit vel per ſedes , vel per Urinam , vel vomitum , vel

etiam

etiam per diaphoreſin criticè (nam tot fiunt criſes, quot paroxyſmi) evacuare : hoc unicum addo, quòd, ſi fortè ſubjectum ſit cacochymicum & præſertim ſi affectione ſcorbuticâ ſit oneratum tunc maximè arcanum duplicatum, magiſterium corallorum cum ſucco citri & ſpiritu cochleariæ imò & alia antiſcorbutica febrilibus medicamentis (aliàs incaſſum fere laborabis) admiſcenda ſint.

N. 3. Totum negocium ut feliciùs abſolvatur ratione morbi temporum hoc tene Regimem ; & primò quidem *in initio paroxyſmi* quamprimùm æger frigus, horrorem, vel rigorem & ſimilia perſentiſcit, mox ille bene indutus (præprimis ſi materia febrilis eſt craſſior) ſe moveat, vel aliô modô vires ſuas exerceat, ut vis ſpirituum oppreſſa in primo hoc ſtadiò excitetur, liberiùsque ij expandantur, penesque materia morbifica promptiùs amoveatur, hoc autem magis in quotidianis & quartanis quàm tertianis (in quibus materia eſt mobilior) practicatur, hinc tertianarij bene in lecto manere poſſunt : Accidit etiam ſubinde, ut rigor omninò excedat, & paucus ſubſequatur æſtus, vel nullus; hîc proſunt omnia ſalia fixa, & enixa, ac armoniacalia, item amara, aromatica & opiata tam internè, quàm externè præſertim ſub olei, unguenti vel extracti forma uſurpata.

N. 4. In Secundo ſtadio, inſequente ſcilicet ac increſcente calore decubitus debet eſſe admodum quietus, & æger ſtragulis (moderatè tamen) coopertus, ut ſic ſomnò conciliato â natura fervor ſanguinis ac incendium inteſtinum ab expanſione ſpirituum ortum maturè temperari queat, atque ſic dolores ac ſpaſmi ab exploſivo ſpirituum ſtatu oriri ſoliti præveniantur, ſic enim omnia caloris ſymptomata mitiora erunt, ſanguis pacatius fermentabit, coctio pathologica maturabitur, criſis felicius fabricabitur, febrisque paroxyſmùs maturiùs ſolvetur : Si verò *æſtus excedit*, febriſque quaſi ardentium naturam induit, metúsque eſt, ne in continuam abeat, tunc optimum præbet medicamentum ſalarmoniacum depuratum aut florificatum ſolitarium â ſcrup: uno ad drach: ſemis, vel ſcrup: ſemis cum diaphor: jovial: ante paroxyſmum exhibitum, vel ipſe ſpiritus urinoſus, & quævis alcalia urinoſa macra, quæ

ſi-

ſine nova turba acidum morboſum fermentativum potentiſſimè infringunt, & ſic æſtum temperant; penes autem ad calorem ſanguinis temperandum aliquod julapium cordiale temperatum ad normam *Mortoni* pro lubitu bibendum ex uſu eſſe poteſt.

N. 5. *In ſtatu*, tertio morbi ſtadiò, cordialibus temperatis alacriùs inſiſte, mentisque tuæ aciem ad urgentiora ſymptomata dirige, ne horum quodpiam ſibi victoriam ex hoc conflictu vendicet, ubi pro re nata & clyſteres domeſtici, & veſicatoria in exceſſivo æſtu & delirijs V. S. nonunquam concedenda eſt.

N. 6. *In declinatione* æger quieſcat, ut criſis perfectior evadat, inde ab omnibus medicamentis deſiſtendum, hinc ſe verè ſpectatorem medicus agat, ſi æger hîc ſudet, leviter tantùm cooperiendus eſt, cæterùm ſi ille non ſponte naturæ beneficiô ſudat, tunc in tertianis ante Quartum paroxyſmum non facilè provocetur; in quartanis verò nec tam citò proſunt, nec tutò provocantur, in tertianis malignis ſpecificis febrifugis ſemper miſceantur alexipharmaca, quippe latet magnum diſcrimen, dum febris maligna Tertianam ſimulat, maximè ſi lingua areſcit, & vires omninò proſtratæ ſunt, in quo caſu quidam plurimi æſtimant citri ſemina vel per ſe, vel ſub forma Emulſionis cum abſorbentibus & alexipharmacis exhibita.

N. 7. Inter *Externa medicamenta* prodeſt etiam fuligo furni cum ſaliva & albumine ovi ſubacta, & carpis manuum in æſtu applicata; alij adhuc cœpas & allia addunt. *Ex Chyrurgia* clyſteres, ut diximus, conducunt, item Venæſectio locum habet, non alibi, ſi plethora aut enormis æſtus ægros infeſtat, & in diſcrimen ob id præcipitat, hinc *Ballonius* quartanas per ſalvatellæ ſectionem curatas obſervavit, cautè tamen procede; ſic & frictiones extremorum in rigore (ubi deambulatio ob vires debiles fieri nequit) cum pannis aſperis calidioribus celebrari, imo & corpus in balneum calidum mergi poteſt.

N. 8. *Diæta* in toto paroxyſmo ſit tenuis; porrigantur avenacea, hordeacea, juſculum pulli, Endiviâ, lactucâ, acetoſâ &c alteratum; 4. vel 5. horis ante paroxyſmum æger cibandus, poſtea verò nil cibi ampliùs admittat; *Potus* in paroxyſmo non

niſi

niſi *parcus ſit*, ac non niſi in ipſo caloris vigore, & paroxyſmo nonnihil declinante fiat, ni aliud ſcabrities & ariditas linguæ ſuadeat; *frigidus* ferè nocet, & maximè in rigore, in quo ſingulariter oportet, ut calidior ſit, licet hîc minûs, quàm ille ſitim reſtinguat, promptiùs tamen ſudorem movet, præprimis ubi compactior & craſſior eſt, ſanguinis compages; in quartanaria acceſſione ob cruditatum lentorem niſi parciſſimè & calidè bibas, febrem contumaciorem reddes, hinc *CRATO* trium Imperatorum Archiater omninò potum hîc interdixit, & ſi bibendum eſt, tunc cum fructu ſpiritus ſalis armoniaci guttæ 30 vel plures potui inſtillantur, utpote qui craſſitiem & aciditatem materiæ morbificæ plurimùm incidit, & corrigit, ac largè ſudorem provocat; qualis potus proficiat infra §. 4. memorabitur; reliqua in ſuperioribus numeris adduximus.

§. II.

De Indicatione Præſervatoria
Seu.
Quid extra paroxyſmum agendum.

N. I. Altera febrium indicatio eſt *præſervatoria* nempe cauſas febrium tam proximiores quàm remotiores reſpiciens; indicanturque talia agenda, quæ cauſas morbi & corrigunt & auferunt, & quidem I. ea quæ cruditates ſanguini ſuggerendas amovent, & Secundo ei ſuggeſtas paroxyſmos febriles parituras (ne in anguſtijs hærendo acceſſiones producant) comminuunt, verbô quæ fermentum febriferum velut clandeſtinum hoſtem perfectè vel ſaltem palliativè averruncant, & talî modô paroxyſmos avertunt, talia vulgò audiunt ſpecifica alterantia antifebrilia, de quibus quivis Medicaſter, hiſtrio, tonſor, anus &c gloriatur, & innumerabilia circumferuntur talia arcana, ita ut, quot lares olim Ethnicis, tot adorentur hodie talia arcana. Cæterùm hæc indicatio maximi eſt momenti, quæ tamen, quòd eximiè miror, rariùs à quibusdam medicis attenditur, qui præter purgantia,

Venæ

Venæ ſectiones vix aliquid extra paroxyſmos agunt, quare per me optimè ſripſit *FRID HOFFMAN.* therapeut. c. 7. n. 46. inquiens: periodici morbi tempore intermiſſionis magis, quam in ipſo paroxyſmo ſanandi.

N. 2. Probavimus ſupra, cauſam materialem tanquam occaſionalem (quæ hîc indicat) eſſe cruditatem vel quantitate vel qualitate, ſcilicet aceſcente, peccantem, quæ in ſanguinem tempore exacerbationis primæ repulſa velut fermentum quoddam in eo turbationem fermentativam & hinc dilatationem & expanſionem ejus cauſat, adeòque hæc præprimis (ut febris eradicetur) vel avertenda, vel ei velut veneno mitiori opponenda eſt certa antidotus, quæ corrigat & emendet, hoc autem ut optatum conſequatur finem, neceſſe etiam eſt, ut & cauſæ procatarcticæ & diſpoſitivæ ac excitantes c. 1. §. 10. propoſitæ è medio tollantur, antequam verò hoc in ſpecie determinemus, placet ex ingenti antifebrilium farragine pauca quædam, ſufficientiſſima tamen, ſelectiora proponere.

N. 3. Sunt autem ſpecifica antifebrilia, quæ ſpecificum fermenti febrilis ſaporem corrigunt; hæc ſunt vel ſimplicia, vel compoſita, ſimplicia ſelectiora 1, cenſentur omnia amara, quæ ob calorem ſuum præpotenter cruditates avertunt, tam coctionem ventriculi promovendo, quàm ſulphur ſanguinis exaltando, qualia eſſe poſſunt abſinthium, centaurium minus, carduus benedictus, hypericum, trifolium fibrinum, vincapervinca, item plantago & ejus ſuccus nobilis, radix item gentianæ, ſerpentariæ virginianæ, contrayervæ, ſummitates item abietis, cupreſſi velut balſamiſantes chylum & ſanguinem, nec non ab omni cruditate præſervantes præſertim in ſcorbuticis, item flores chamomillæ ſingulariter ſpaſmos præpedientes, & inde contractionem partium ſubmoventes, lignum item colubrinum; deinde huc trahenda ſunt omnia ſalia, & fixa & volatilia alcalia vegetabilium & animalium v.g. abſinthij, geniſtæ, item enixa ut ſalarmoniacum, arcanum duplicatum, ſal polychreſtum &c. quæ omnia efficaciſſimè cruditates comminuunt & per Urinam fere eliminant; inſuper conducunt ad diſcutiendas cruditates omnia exiccantia

cantia, calafacientia, diaphoretica & diuretica, ac antihydropica ut lignum ſaſſafras, quaiaci, buxi, fraxini, lentiſci, ſantalorum omnium &c. radix ſarſaparillæ, Enulæ Campanæ, fæniculi, petroſelini, apij, &c. aqua calcis vivæ, antimonium diaphoreticum; cunctis tamen palmam præripit *cortex peruvianus* china chinæ dictus, utpote terreo-ſalinæ proſapiæ, qui tantæ eſt efficaciæ, ut ſupra memoratus *FRID-HOFFMAN*: rurſus therapeut. c. 7. n. 22. non erubuerit dicere, quòd arcanum medendi intermittentibus ſit verus uſus & exhibitio prudens chinæchinæ; ſed de hac mox plura.

N. 4. *Opiata* etiam Antifebrilia habentur ab aliquibus, & ſanè hæc, ut & paregorica alia multùm ad ſanguinem pacandum, ejusque perturbationes ſopiendas faciunt, at verò, cùm in viſcoſioribus cruditatibus, quæ inde magis condenſantur, minùs conveniant, etiam cautè adhibenda ſunt, & non niſi urgentibus nimijs ſanguinis fermentationibus, vigilijs, doloribus, delirijs, dyſenterijs & diarrhæis complicatis, ſanguine item tenuiori & acriori &c, ex uſu eſſe debent, & tum quidem (quatenus tumultus ſedant, & ſanguinis conſtrictioni non parùm afferunt) plurimi æſtimanda ſunt: Verùm cave, ne ſub finem paroxyſmorum, niſi manifeſtiſſima quædam indicatio urgeat, exhibeas, nec in primo rigoris inſultu (niſi paroxyſmi potiùs ex conſuetudine febriendi ſæpiùs occurrant, quàm ex fomite morboſo procedant) nam hîc juſta ſpirituum expanſio præpeditur, & paroxyſmus facilè in apoplexiam vel coma, vel alium morbum peracutum mutari poteſt; deinde nunquam ſola ſed ſemper ſpecificis commixta dentur; ſic etiam thæriaca velut opiata juxta Galenum ad dracham unam in uncia dimidia ſucci abſinthij cum hauſtu vini propinata quaſvis febres intermittentes jam profligavit, quæ tamen ante coctionis ſigna eaſdem multiplicavit; ſi nimius æſtus metuitur, tunc cum Aceto commixta porrigatur: Et hæc de nominatioribus antefebrilibus ſimplicibus (rationequorum etiam omnia inde præparata ſubintelligimus) ſufficiant; exquibus licebit quoque varias combinare formulas, quarum immenſum numerum, cùm apud authores invenias, non addo, ſed ad illos te re-

mitto, præſertim adi *SENERTUM*, *ROLLFINCIUM*, *HARTTMANNUM*, *MYNSICHTUM*, *SCHRÆDERUM*, & centenos alios.

N. 5. Antequam Regimen horum ſpecificorum uſurpandorum aſſignemus, placet in gratiam Philiatrorum pauca quædam de cortice peruviano addere, ut eluceſcat, cur tanta ipſi in febribus intermittentibus curandis prærogativa tribuatur, & coryphæus ac anteſignanus antifebrilium medicamentorum â medicis modernis omnibus non ſolùm conſeatur, ſed & revera ſit. Arbor eſt, ut habet *MORTON* in ſua pyretologia fol. 122. (ex relatione M. *ANTONII BOLLI* Mercatoris genuenſis in Epiſtola quadam) Gannaperide (in Regno *QUITENSI AMERICÆ PERUVIANÆ* præſertim prope *LOXAM* creſcens) nuncupata, non procera, ſed in ramulos inſigniter divaricata, folia habet, qualia ſunt prunorum rubeorum, nec minùs patula, nec acuminata, quæ ſaporem aromaticum, nullatenus amarum habent; floribus albis & cæruleis ad inſtar mali granati eximiè ornatur, nullum tamen fructum parit, ac ſi in pompam unicè cum tanta luxuriantium florum copia nata eſſet, ſed iſtum defectum abundé compenſat cortex eius febrifugus in ſanitatem gentium procul dubio â DEO O. M. conditus. Nec lignum, nec flores teſtante CL. *HIERON: BARDI* febrifugi ſunt, ſed ſolùm reſina è cortice extillans & ſemina hiſpanicè *pipita de Quina* vocata, ſemina cucurbitæ planè referentia, at in inferiori longè gradu quàm cortex, unde duntaxat hic in uſum apud nos *EUROPÆOS* venit: Virtutem hujus corticis jam dudum ſciviſſe Indos, ſed ex odio erga Nos occultaſſe, dicit idem *BOLLUS*, innotuiſſeque hoc modo: Nimirum in Civitate *LIMENSI* Regni peruviani Metropoli (detectâ ſcilicet â *CHRIST: COLUMBO* Genuenſi circa 1640. hac plagâ) Uxor Proregis Comitis *DEL GINCHON* tertianâ ſæviſſimâ (qualis illic loci Epidemica eſſe ſolet) correpta funeſtiſſimè decumbere videbatur, quod tandem *LOXAM* uſque percrebuit, Unde Præfectus illius loci Proregem per litteras monebat, ut Proregina Remedium, quod ſibi in arcanis eſſet (corticem ſcilicet noſtrum) aſſumeret, quô

futurum

futurum, ut mox reconvaleſceret, quod & eventus approbavit, unde hujus pulveris uſus ſub titulo, *pulvis Comitiſſæ* per totam *Americam* Hiſpanicæ ditioni ſubjectam brevi tempore multum inclaruit; Revertente autem Prorege ex *INDIA* in *HISPANIAM* illicó & hoc arcanum circumferebatur, utpote quòd plures è faucibus òrci jam eripuiſſet, Unde non tantùm per *HISPANIAM* ſed & *ITALIAM ROMAM* uſque laudandis etiamnum *IOAN. CARDINALIS DE LUGO S. I.* Et cæterorum collegij *IESVITARUM ROMÆ* Patrum (qui eum Religioſis & pauperibus gratis largiebantur) conatibus (â quibus *Pulvis Patrum appellabatur*) pervenit; Verum enim verò habuit etiam narrante eodem *MORTONO* ſuos flagellatores, præſertim *LONDINI*, qui inde dolô malô conſilium de hujus febrifugi fama præmaturè ſupprimenda cæperunt, ne ſcilicet hac ſuccinctâ febres obtruncandi methodô, ægrotantium crumenas emulgendi occaſio tolloretur, at fruſtrà, manſit enim ſemper ei ſua laus apud honeſtos, creſcitque etiamnum in dies, ita ut revera verificetur illud de hoc cortice: *ſalutem ex inimicis noſtris.* Poſtquam fere ad decennium præjudicijs vulgi & Profeſſorum laboravit, quippe 1659. *ROLANDUS STURMIUS* Med: Clar. Delphenſis vindicias huius corticis edidit; item hac de re Cl. *SEBAST. BADUS* Med. Genuenſis in lib. 1663. edito, *anaſtaſis corticis* intitulatô adeò viriliter cauſam agebat, ut poſthac nemo medicorum adverſùs hunc hiſcere auſus fuerit, & ita tandem penè divinum hoc remedium de hoſtibus ſuis triumphavit, nec de jure ſuo apud probos & doctos Viros ante conſummationem ſæculi decedet. Nunc rimemur, qua virtute febres profliget, ut innoteſcat, an occultè vel manifeſtè, an perfectè vel palliativè tantûm id, quod agit, agat: Imprimis verò omnibus notum eſt, eum eſſe terreſtris & amaricantis naturæ, cujus rei ipſe tactus & guſtus teſtes ſunt; inſuper ſtypticus eſt; cùm igitur omnes ſaporem à ſalibus, amaritiem autem â ſalibus cum terreis particulis commixtis derivent, concludimus hunc corticem eſſe terreo-ſalinæ proſapiæ, quod & patet â negativis; per coctionem etenim non ſolùm ſine virium mutilatione poteſt inde haberi & Tinctura & extractum.

 quod

quod ſignum ſiſtit, non conſiſtere ipſum in ſulphure & ſpiritibus; dein nec velut res ſpirituoſa ſenſus ferit, nec etiam ullatanus aquoſus eſt, ſed potiùs impenſè ſiccus, ergò terreo-ſalinus, cùm & per chymiam terram & ſal præbeat, nil autem de reliquis, quod notari poſſet: Notandum deſuper in hoc cortice, quòd particulæ terreo-ſalinæ firmiùs (ſecus ac in alijs multis) cohæreant, & arctiùs ſe invicem amplectantur, ita ut ſimul ſanguinem ſubeant, conjnctisque viribus fermentum febrile debellent: quòd autem hic cortex præ reliquis etiam magis amaricantibus antifebrilis ſit, eſt inde, ſcilicet quòd manifeſtiora amara magis de ſale, hic verô magis de terreis particulis, quæ potentiùs ſanguinem conſtringunt, participet; Cæterùm innoxium eſſe, & antihelminticum docet nos *Ephem. Nat. Cur.* Dec. 3. annus 2. obs. 123. p. 185. *Modus* autem *operandi talis videtur*; 1. cruditates comminuit partibus ſuis ſalinis, quæ ſic comminutæ expeditiùs ſanguine & ſero permixtæ anguſtiores meatus pervadunt, nec hærent, conſequenter & aceſcentia præpeditur; Secundò terreſtreitate ſanguinem ad conſtantem firmàmque compagem reducit, & nimiam ſpirituum expanſionem impedit, ſicque dilatationi (ſine qua nulla fermentatio fieri poteſt) ſanguinis, conſequenter paroxyſmis cudendis reſiſtit, ubi ſimul particulæ ejus terreæ cruditates jam in anguſtijs hærentes conterunt, ac tandem hæ velut aſperiores in totum conſumuntur, febrisque curatur; Ex his etiam liquet, cur Authores moderni cenſeant poſſe huic famigeratiſſimo Cortici etiam radices pentaphylli, & tormentillæ &c ſubſtitui, utpote quæ non tam terreâ ſtypticâ ſed etiam reſolutivâ ſalinâ virtute polleant.

N. 6. Eviſceratô nunc quoad craſin & virtutem operativam cortice noſtrô velut omnium antifebrilium principe, alijsque ſupra enumeratis antifebrilibus auxilijs ſcilicet *materiali antidoto* reſtat, ut & eorum *formale* nimirum *uſum* ſeu legitimam auxiliorum horum uſurpandi rationem & adminiſtrationem ſcrutemur; Eſt autem hæc juxta therapeuticam noſtram c. 2. §. 8. *quadruplex*, quantum videlicet exhibendum; Quando; Quomodo, & ubi; Quod *quantum* attinet, intelligitur hîc quantum

con,

continuum (non diſcretum) id eſt , in qua doſi : Variat autem doſis plurimùm tam ratione ipſorum antifebrilium medicamentorum , quàm etiam ratione ſubiectorum pacientum, item tam ob ætatem , quàm temperamenta , ſexum , anni tempus &c , quapropter cùm jam plures de his ſcripſerint , nec etiam abſolutè determinari queat , idcirco negocium cuivis prudenti Medico relinquo ; Quod verò *corticem* concernit , variat etiam hujus quantitas exhibenda multùm tam ratione ſubjectorum , quàm cruditatum & hinc natarum febrium ; â Quanto devenimus ad *quando*, videlicet quo tempore antifebrilia , & præſertim cortex , exhibenda ſint ; Plerique antiquiores , ut jam §. 1. hîc meminimus, toto intermiſſionis ſpaciô præter lenitiva , purgantia & V. S. â reliquis medicamentis eousque abſtinuêre , donec vel paroxyſmus jam jam adeſſet , vel intra unam aut alteram horam expectaretur acceſſio , aſt plurimis malè ceſſit hæc methodus , dum inde vel paroxyſmus exacerbabatur , vel ſi ſuffocabatur præſertim fixioribus antifebrilibus vg. *STROBELBERGERI , HARTTMANNI, CROLLII &c* , ægri plerumque in cachexias , hydropes , viſcerum ſcyrrhos , tabes ſeu febres lentas , ictericias &c inciderunt , vel etiam ſi purgantia exhibeantur , inde majori turbâ inductâ intermittentes in continuas mutabantur ; Saniores hodiedum ſunt ij, qui cruditates corrigendo tempore apyrexiæ paroxyſmos fugant , & cauſas febrium internas proximas tollunt , quemadmodum flagrante jam domô fruſtra cauſa incendij ſubmoveri intenditur, hinc in uſu & quidem ad cruditates ſucceſſivè ſuccidendas habent, ut mox paroxyſmô peractô antifebrilium , maximè corticis , exhibitio per certa intervalla adminiſtretur , nam ſic ſanguis velut pacatior hiſce febrifugis facilius auſcultat , & corticis conſtrictioni paret, ac licet ex corticis uſu nonnunquam paroxyſmus vehementior ob materiæ morbificæ præcipitem comminutionem (priusquam ſanguis ad nimias fermentationes inhibendas componitur & conſtringitur) emergat, non tamen metuendum eſt , nam huiuſmodi paroxyſmus (ni ex genere calidorum ſit) diſceſſum plerumque præſagit ; Hinc tamen ſedulò in hujus corticis uſu perſiſtendum etiam fugatis paroxyſmis , ne morbus recrudeſcat

cat, poſtea verò amaricantia (quibus ſic cruditates totæ conſumantur, & ſulphur ſanguinis exaltetur) in forma præſertim vini medicati, vel eſſentiæ aut Elixiris &c in uſum trahantur: Hæc methodus etiam ob id laudanda, quòd in febribus erraticis &c omnium tutiſſima & certiſſima ſit: Quando verò cuipiam omninò Veterioribus adhuc aſſueto hanc methodum amplecti minùs placet, atque uno ictu febres quaſi averruncare cupit, is ſaltem attendat, ut ſecurus ſit de hora proximè futuri paroxyſmi, ita ut exhibitâ vel antidotō antifebrili vel purgante cruditates potentius comminuat, aut educat, & ſic paroxyſmum avertat, aliàs incaſſùm imò ſæpiùs non ſine damno laborabit.

A quando devolvimur ad *quomodo*, ratione cujus ſciendum, quòd officium Medici practici conſiſtat in tribus generalibus, nempe ut *citò* ratione temporis, *tutó* citra recidivam & peius malum, & *jucundè* ratione modi curet ægros; adeoque eò præter reliqua collimare debet, ut medicamenta antifebrilia quoad colorem, odorem & ſaporem, quantum fieri poteſt, grata exhibeat, ſive dein dentur ſub forma pulveris, boli, electuarij, apozematis, infuſi, decocti, iuſculi, trochiſcorum, morſulorum, pillularum, rotularum &c: Cortex in ſubſtantia certiùs & citiùs paroxyſmos abigit, etſi longiorem in ventriculo moram trahat, at magis nauſeoſus eſt, gratior in forma tincturæ, Apozematis &c. nec tamen viribus mutilatior; Vehiculum ejus cæteroquin optimum eſt, quod acidiuſculum & auſteriuſculum ut vinum granatorum, rubellum, ubi aliàs admitti poteſt, nam & hæc ſanguinem conſtringunt, & cruditates comminuunt, econtra liquores aquoſi, ut ſcitur, ineptiores ſunt.

Tandem *ubi* Medicamenta adhibenda ſint, non eſt, quòd multùm diſceptemus, nam per os exhiberi debere ſole meridiano clarius eſt, licet alij ſolis topicis nonnunquam fidant, ſed de his brevi.

N. 7. Poſtquam fermentum febrile funditùs dictis antifebrilibus enervavimus, præparavimus ſeu coximus, tunc (ut ſupra dictum) demum evacuandum eſt. Hîc 1. diſceptatur inter Medicos, an conveniant purgantia draſtica, vel Emetica, vel ſolùm

mino-

minorativa; *Purgantia* colliquativa ſupra c. 1, §. 9. n. 2. inter debilitantia, & alibi inter ea, quæ maiorem perturbationem in ſanguine cauſant, numeravimus, adeoque vel rarò vel nunquam adhibenda cenſemus, fere etenim â Neotericis obſervatum, cathartica (ac vegetabilia vomitoria) aliaque ſanguinem exagitantia & rarefacientia leviſſimâ in ſanguine cruditate remanente ob allatas rationes facile diatheſin febrilem reſuſcitaſſe, accedit, quòd, dum crudior eſt Urina, nil noxij expurgetur, ſed febris potiùs accreſcat & vires debilitentur, præprimis â vegetabilibus, imò ſæpe in continuas degenerant, aut ſaltem paroxyſmus ſequitur gravior & febris fit diuturnior, hinc & in quartanis ab initio non purgandum eſt, ſed tum primùm, quando coctionis ſigna comparent: Si catharſis ominò exigitur, lenioribus cum laudano & cortice peruviano mixtis inſtituatur; Cathartici ſumpti operatione peracta ſolent moderni mox aliquod paregoricum, opiatum, vel thæriacale propinare, quô omnia rurſus in priſtinum pacatum ſtatum redeant: Indicantur ſingulariter jam memorata cathartica â quotidianis duplicibus & triplicibus, alijsque febribus ingeminantibus ad imminuendas cruditates, priuſquam antifebrilia aſſumantur, modò turbatus jam ſanguis non contraindicet, ac reliqua coindicantia concurrant; propinari ergò poſſunt tempore intermiſſionis, & ſi paroxyſmum futurum (ſcilicet quâ horâ certò adveniat) noſcis, etiam tribus horis ante paroxyſmum dare poteris, ſic ego non unâ tantùm vice drachmâ unâ Rhei febres ſimplices profligavi.

N. 8. *Vomitoria* & hæc ſubinde prodeſſe poſſunt, non tamen indiſcriminatim omnia, ſed duntaxat ea, quæ ſolùm irritando ventriculum (non turbando ſimul ſanguinem) vomitum præſtant, uti ſunt Zythogala carduata affatim hauſta, oxymel ſcylliticum, aut vinum ſcylliticum ad unicas duas epotum, vel ſaltem ſal vitrioli ſcrup. duo, imò & bolus meus Emeticus &c; peractâ verô operatione mox peregoricum aliquod propinetur.

N. 9. Univerſalius remedium præbent *Diaphoretica*, nam & in & extra paroxyſmum hæc locum habere poſſunt, imò dicit *ETTMULLERUS*, quòd nulla febris ſine Diaphoreticis tutò

curetur

curetur ; Hinc crediderim, febres præſertim erraticas intermittentes continua & leni diaphoreſi per antifebrilia, imò ſola abſorbentia in majori doſi exhibita omnium tutiſſimè curari poſſe; cæterum laudantur eximiè unâ vel altera hora ante paroxyſmum propinata ; Diaphoreticorum ſpecificorum ſelectus ex ſuperioribus patet, præmittantur verò cathartica, ut ſupra inſinuavimus.

N. 10. *Diuretica* locum habere jam ſupra meminimus, ê quorum cenſu præ alijs ſunt ipſa ſalia, hinc pluribus in uſu ſunt tempore intermedio ; Tale ſit locô omnium, quod deſcribit *WNCKEN* in ſua Chymia Experim. cur. pag. 630. cap. 21 Recipe nitri cryſtal., ſalis cent. min., abſint., card. bened., armoniaci, aluminis ana partes æquales, fiat lege artis ſal, hujus capit granais tartari Vitriolati ſcrupul. 5. m. exhibet talem doſin manè per aliquot dies, dicitque eſſe ſpecificum in quartana, tertiana, imò & alijs morbis diuturnis.

N. 11. *Salivatio* ſeu Ptyalismus Quartanarios ſubinde radicitùs curaſſe dicitur, at videtur remedium ipſô fere morbô gravius; cæterùm verum eſt, quòd aliquandiu intermittentibus laborantes promptiſſimè etiam paucis granis mercurij dulcis ſalivent.

N. 12. Tandem etiam *Topica* conſideranda ſunt, qualia diverſa laudantur apud Authores, quos adire poteris ; *Amuleta* &c parùm faciunt, ni imaginatio ratione ſpirituum fortis accedat, ſequenti *D. MICHAEL* ſenem fere octogenarium Quartana affectum ſalvavit, Recipe fuliginis ſplendidæ drachmam unam ſemis, therebinthinæ drachmas 6., telarum aranearum unciam unam, camphoræ ſcrupulos duos, olei aranearum q. s. miſce, fiat Emplaſtrum utrique manuum carpo applicandum : Hæc & ſimilia Epithemata, cataplaſmata, & emplaſtra (quorum quaſdam formulas exhibet theſaurus pharmaceuticus *FRID : HOFFMANNI*) adhuc tranſeunt, quia & contactu corporali agunt, quatenus ſeſe odoris ad inſtar ſucceſſivè in poros inſinuant, & ita vel immediatè alterando partem ſubjectam ſolidam, eiusque ſpiritum inſitum, vel mediatè afficiendo ſanguinem & ſpiritus influos operantur : At verò præter iſthæc (quorum adhuc ratio agendi dari poteſt) plura verè illicita adhibentur, uti eſt nominatum illud

ver.

verbum *ABRACADABRA*, de quo revera (etſi febres fugentur, non tamen fugantur ſine noxa) omninò nulla ratio phyſica reddi in æviternum poterit; Plura brevitatis ergò prætermius, unicô adhuc, ut ſequitur, triſtî exemplô contenti: Vir erat mihi notiſſimus, opificiô Vietor, bibax quidem, cæterùm probus & bonus Oeconomus, hic ante viginti circiter annos per tres ſeptimanas febre Tertianâ tandem etiam dupli- & triplicante torquebatur, Cui conſanguineus ejus Piſtor quidam ſuppetias proximè (ſi annueret) laturum pollicebatur, is amore ſanitatis non annuit duntaxat, ſed &, ut id quantocyus præſtaret, rogavit; Igitur hic Piſtor altero die ante ſolis ortum (ut præſtigioſa methodus requiſivit) prodijt in campum ad amnem quendam, ubi ſumptô longiori baculô, antrorſum acuminatô, perfodit ſalamandram vivam proximè viſam, inque altum erigit, atque his verbis febrem abſens quaſi exorcizaturum ſe firmiter confidebat: *Transfigo te ſalamandra, & in altum erectam infigo baculum terræ, ut quemadmodum tu ſucceſſivè exareſces, ita febrem huic noſtro civi & meo conſanguineo* N. Bürgin (hoc nomem erat febricitanti) *ſucceſſivè pellas, in nomine DEI Patris &c.* ecce quouſque præiudicet vulgus manum ſuam in meſſem medicam mittere, ita ut ſi deſint media naturalia, ad præſtigioſa, & damnata confugiant, imò nec ipſis ſacratiſſimis TRIADOS nominibus parcant; at quid factum, febris quidem periodica ceſſit, continua autem acutior nonnihil ſuccrevit, & quemadmodum ſalamandra exaruit in baculo, ita ille contabuit in lecto, intraque 14. dies (medicamentis etiam optima ratione adhibitis) dilectæ coniugi etiamnum modò ſuperſtiti & alteri viro ſartori nuptæ, & liberis valedicens fatis ceſſit: Diſcite medicaſtri, quàm periculoſum ſit in Appollineam noſtram artem tam ignoranter irruere, cum rariſſimê ſine cædibus, & hinc ſine maxima conſcientiæ defædatione eveniat, at hôc ſæculò ſurdis canitur, & quid mirùm, ipſa enim *ÆTERNA VERITAS* teſtatur, *oportere, ut ſcandala fiant, ſed* (notent hoc pſeudomedici) addit; *væ illi per quem ſcandala fiunt.*

N. 13. Ex *Chyrurgia* ſalutarem præbent anchoram ipſa nonnunquam Viſicatoria nuchis vel carpis manuum applicata, nam &

febres diuturnas ſæpe exhauriunt iuxta felicíſ. *ETTMULLERUM*, ſpeciatim autem ab ijs rigor imminuitur, qui ideò & præcavetur, ſi die intermiſſionis adhibetur, quod & *POTERIUS* lib. 2. de feb: v. 23 pag. 109 de Quartana ſic curata teſtatur. *Vena ſectio* præſervatoriè nullatenus indicari videtur, quidquid plures ſatis empyricè contra agant, ratio facilè ex ſuperioribus erui poteſt.

N. 14. *Diæta* denique talis eſſe debet, quæ cauſas procatarcticas cruditatum authrices cap. 1. §. 9. n. 1. 2. & 3. propoſitas amovent, cruditates imminuunt, & ſanguinem coarctatum naturaliter retinent, verbò, quæ dictis iam cauſis contraria ſunt; in conſuetudinem hæc ducantur, v. g. aeris humidò - Frigidi vice ſit calido-ſiccus, qui ſi naturaliter talis non eſt, arte per luculentos ignes, hypocauſta calida, ſuffimenta aromatum paretur; locô dyſpeptorum ſint eupepta, & pro debilitantibus in uſum veniant corroborantia; Exercitationes corporis fiant eâ lege, ut ſpiritus potiùs reficiant, quàm diſſipent & defatigent; ſomnus refectioni duntaxat neceſſarius, vigiliæ verò paulò protractiores; alvus ſit ſatis laxa, & ſubinde ſudor cieatur: Urina & ſedes per decoctum amarum, pillulas Tartareas, aut lenitiva à nobis inſtit: lib: 5. cap. 4. in fine propoſita provocentur; animus ſit ſerenus, & ab omni mæroris ac curæ nebulâ liber.

§. III.

De Indicatione Vitali
ſeu
De Viribus Conſervandis.

N. 1. Huic §. Satisfaceret omninò caput noſtrum octavum lib: 5. baſeos medicæ, cùm verò adhuc nondum (quod tamen Deo dante brevi fiet) ſit in pluribus manibus, placet pauca addere; Hæc indicatio reſpicit vires & robur naturæ, & quia eæ ſunt res in corpore ſecundum naturam, omninò ſui conſervationem expetunt; robur hoc fere in debito ſpirituum ſtatu conſiſtit, quare ſi in elaſticitate ſua toto paroxyſmi (ut fit in malignis) præſertim rigoris tempore opprimuntur, & languent,

tunc

tunc omninò indicant excitantia §. 1. n. 1. huius capitis tradita, ne ſcilicet ſuccumbendo æger (quod plerumque in rigore evenit) fatis cedere neceſſe habeat, talia ſunt omnia ſpirituoſa caſtoreata, volatilia, ambrata &c, nam Studioſè advertere debemus, ut hisce ſpiritus (vitatis omnibus debilitantibus c. 1. recenſitis v. g. vomitorijs, catharticis V. S. ibus) erigamus. conducunt item analeptica & ſtomachica aromatica, quibus addere potes cupedias lautiores & generoſiores ex vinis & euchymis confectas &c: externè *veſicatoria* ad quamcunque partem præſertim verò ad caput applicita eximiè ſpiritus ſeu naturam excitant, & ſic egregiè conferunt.

N. 2. *Si* econtra *vires* ob æſtum nimiùm *exolvuntur*, tunc indicant ea, quæ ſpirituum avolandi niſum refrænant, & ſanguinis ferociorem motum compeſcunt, ut iam ſupra de æſtu ſtatuimus, conveniunt omnia alcalia refrigerantia, & acida, imò & ſæpius opiata.

§. IIII.

De Indicatione Symptomatica
Seu.
Quomodo Urgentioribus Accidentibus Succurrendum.

N. 1. Inter reliqua Urgentiora ſymptomata febrium revera eſt *ſitis* illa, quæ *clamoſa* dicitur, hîc expetit ea, quæ ſalſum intenſius & oleoſius attemperant, lympham ſalivalem viſcidam incidunt & attenuant, partium ſiccitatem leniunt, vel ſaltem ſitim fallunt &c, ut uberiùs in noſtra methodo reſolvendi caſus medicos ſec: 1. cap. 3. habemus; Hîc conveniunt varia, præprimis verò laudatur liquor poſſeticus ab Anglis, item Decoctum album in malignis; cæterum optima ſunt iulapia, citrata, idæata, cydoniata &c: Notandum tamen, hæc acida minùs competere, ſi calor proportionatus, nam tum ſufficit conſuetus potus; inſuper huc pertinent Emulſiones refrigerantes & paregoricæ; in ſcorbuticis convenit & ſerum lactis citratum, decoctum Tamarindorum.

N. 2. Succedit *Capitis dolor*, ipſius æſtuationis non infimum ſymptoma, etiam ſcorbuticis præprimis familiaris, qui plurimùm Epithematibus ex ſeminibus nucleor perſic. pap. alb. cum aquis paregoricis, acetô roſaceô, camphora in forma Emulſionis paratis mitigatur, ſi calidè fronti & temporibus in 4. plicatis lenteolis non adeò tamen madidis applicantur; cæterùm erit optimum adiumentum, ſi ſudor pacienter expectatus debitè profunditur, quibus & *iactatio & inquietudo ac vigiliæ* plurimùm ſedabuntur, ut & *deliria*, pro quibus (cùm ſedatô paroxyſmô ea ſponte ceſſent) vix ac ne vix quidem requiruntur veſicatoria.

Huc ſingulariter pertinent *febres anomalæ*, utpote quæ mera quaſi ſymptomata febris alicuius originalis ſunt, idcircò breviſſimè de ijs, quæ ſingulariorem curam expetunt, agemus: ſit igitur.

N. 3. *Febris algida* indicat ea, quæ in hoc capite §. 1. n. 3. de rigore adduximus, Item ea quæ in præcedenti §. 3. n. 1. inſinuavimus; Ratione Diætæ ægris (præſertim ſi tempeſtas ſimul humida & frigida, ac conſtitutio pacientis minùs ſpirituoſa & ſulphurea eſt) commodè vinum tartareum & auſteriuſculum ſubinde porrigi, aut ſaltem vina lixivialibus vel ſale aliquo alcalicô fixô imprægnata exhiberi quibunt, ſed cætera diæta correſpondeat.

N. 4. *Febris ardens* ex oppoſito poſtulat illa, quæ in hoc cap. §. 1. n. 4. & antecedenti §. n. 2. intimavimus, Item quæ cæteroquin in febribus continuis ardentioribus indicantur; *Diæta* ſit refrigerans, humectans, & paregorica; de hac autem imprimis repete, quæ de continuis §. 3. propoſuimus.

N. 5. *Febris Aſthmatica* quoque penes febrifuga requirit, maximè verò in paroxyſmo antiſpaſmodica, cinnabarina, ſuccinata, caſtoreata ac thæriacalia, etiam opiata, ni tenacitas pituitæ obſtet, quæ dein, ſi lenta, eſt reſolvenda; ſi aceſcens, temperanda; Curavi ego antifebrilibus & cinnabarinis ac caſtoreatis, in *Diæta* Decoctum ſaſſafras conceſſi, prodeſt & Enulæ, imò, ni urina ſatis tingatur, quod tamen non tam facilè fit, etiam vinum concedatur.

N. 6. *Febris Anheloſa* parem cum antecedenti habet fere indi-

indicationem, niſi quòd cenſeam antifebrilibus volatilia eſſe commiſcenda; in *Diæta* forte pro potu Decoctum pæoniæ, vel radicis valerianæ optimè conduceret.

N. 7. *Febris catarrhalis* de febribus continuis §. 3. ex profeſſo tractatur.

N. 8. *Febris Cardiaca* requirit ſingulariter talia, quæ cæteroquin cacochymiæ amaræ debentur, abſorbentia nempe alcalia manifeſta & occulta, diluentia, ac Nitrata, præſertim ex compoſitis pulvis Diacretæ *MINSICHTI*. *Diæta* verò ad amarum corrigendum dirigatur.

N. 9. *Febri deiectoriæ* aſtringentia moderata, & opiata, potiſſimùm autem thæriacalia ac diaſcordiata competunt, item præparata ex roſis, tormentillâ, corallijs rubris, bolô, lapide hæmatite &c. quibus tamen extra paroxyſmum antifebrilia permiſceantur.

N. 10. *Febris Epiala* indicat quodammodo ea, quæ in quartana intimavimus, ideò lectorem eò brevitatis ergò, quia ibidem plura tetigimus, remittimus.

N. 11. *Febris Delira* expetit ea, quæ ſupra hoc §. de capitis dolore attulimus.

N. 12. *Febris Emetica* ſymptomatica (non critica in declinatione morbi) indicat illa, quæ ſpiritus irritatos placant, contractionem convulſivam diſſolvunt, ventriculumque roborant, qualia ſunt temperata acida, cydoniata, thæriacalia, opiata &c: externè conveniunt varia topica aromatica regioni ventriculi applicita.

N. 13. *Febris lipyria* requirit ea, quæ cruditates æqualiter comminuunt, conveniuntque fere volatilia macra, & externè frictiones, ſi eſt autem ab inflammatione tunc gangrænæ more curandum malum, ſi artis vires & malum ipſum curam admittunt.

N. 14. *Febris micturiens* ſeu Uretica ſymptomatica diaphoretica poſtulat, conſequenter omnia ſalina exſint.

N. 15. *Febris maniaca* indicat ſpirituum extaſin & eccentricitatem reſtituentia, ſulphur deficiens reſtaurantia & torpidam materiam reſoluentia ac volatiliſantia, qualia ſpecifica rur-

ſus

ſus ſunt opiata, camphorata, coralliata, Nitrata, præprimis & ea, quæ ex arcano duplicato copioſè hauſto propinari poſſunt; Pro potu conducunt Emulſiones, ſerum lactis &c: laudatur Tinctura Anagallidis eximiè â *CROLLIO*.

N. 16. *Febris Præfocans* poſtulat aperitiva hypochondriaca, & antiſcorbutica ac antihyſterica, qualia copioſa in noſtro campo Elyſio proſtant, & ſunt fere ſuccinata, caſtoreata, etiam opiata Item ſingulariter Tra bezoardica, quæ revera inſtar omnium eſt, exaltatur in ſua vritute, ſi eſſentia liquida opij Helmontiani aſſocietur, quâ non ita pridem prænobilem Domicellam ex *CHARONTIS* cymba extraxi. *In Diæta* vitentur omnia dulcia, facilè fermenteſcibilia, ambrata & moſchata &c.

N. 17. In *Febre ſicca* expetitur omni modô materiæ morbificæ debita coctio & ſecretio ſeri per poros cutis, hinc fortè non ineptum foret Unguentum *ÆTII* ad ſudoris elicium; Attendendum tamen, ſi fortè natura per alias vias evacuationibus criticè operatur, eſſe hoc minùs curandum: Locus in quo æger jacet, non adeò caleat, ſed ſit temperatus.

N. 18. *Febris ſiticuloſa* ſanatur, ut de ſiti hîc n. 1. ſtatuimus.

N. 19. *Febris ſudatoria* poſtulat ſanguinis tenuitatem & acrimoniam corrigentia ex antihectico Poterij, ſacharo ſaturni, opio &c. in Diæta vitentur æſtuoſior aer, aromata, potus generoſiores, vigiliæ, majora corporis exercitia, ira &c.

N. 20. *Febris ſputatoria* vendicat ſibi unicè diaphoreſin & diureſin promoventia, de quibus alibi.

N. 21. *Febris ſyncopalis* curatur acrioribus & ſubtilioribus ſalinis volatilibus acidum corrigentibus, & ſpirituaſcentiam promoventibus &c.

N. 22. *In Febre Tuſſiculoſa* acidum corrigatur, & ſpaſmi reſolvantur.

N. 23. Tandem in *Febre Torminali* ſpecifica in paroxyſmo eſſe poſſunt ad ſpaſmos reſolvendos, ſpiritus enormonticos ſedandos, ſuccinata, cinnabarina, caſtoreata etiam opiata, ac alia paregorica; alvus moneatur clyſteribus ſui officij, ſi minùs eô fungitur - plura vide in noſtra methodo Reſolvendi caſus medicos ſect. 1. c. 10. §. 2. 3. 4. ; extra paroxyſmum ſtrenuè antifebrilibus inſiſtentium.

N.

N. 24. Agmem claudunt *febres intermittentes malignæ*, quæ hoc peculiare habent, quòd tam in- quàm extraparoxyſmum penes medicamenta ſuperius annotata à medico efflagitent alexipharmaca & cordialia, de quibus, cùm de febribus continuis malignis plura videre liceat, plura non addo, & duntaxat adhuc.

N. 25. *Notandum ſiſto*, quòd ſæpe ſæpius ſingularis quædam cacochymia ſcorbutica dicta febribus hiſce complicetur, quæ peculiarem ſibi arrogat indicationem, quâ etiam medicamenta antiſcorbutica antifebrilibus permiſcenda exigunt, inter quæ non infimum locum habet cortex peruvianus, trifolium fibrinum, arcanum duplicatum &c.

§. V.

De Noxa â Febribus illata tollenda.

N. 1. Ut nunquam Hoſtis in aperto campo Aduerſarium ſuum acriter aggreditur, quin non ſubindè quoque graviter lædat, ſic hoſtes noſtri (febres) vix unquam æconomiam noſtram animalem invadunt, & adoriuntur, quin non fere graves imò ſæpe funeſtas inferant noxas, præprimis verò dum frequentioribus inſultibus corpus arietant, quibus franguntur vires, ſulphur ſanguinis diſperditur, ſpiritus diſſipantur, habitus corporis decreſcit, imò potiùs (ſi diutiùs perſeverant, vel malè judicantur, aut per copioſiora abſorbentia præſertim calcinata terrea multùm uſurpata ſolùm ſuffocantur) accreſcit & defædatur, dum iam cacochymiæ, iam cachexiæ, iam ædemata pedum imò & hydropes & plura alia mala velut certi comites inſequuntur. Hic demum cruditates comminuendæ, coquendæ & quisquiliæ febriles tum expurgandæ, ſulphur ſanguinis reſtituendum, vappeſcentia eius tollenda, appetitus acuendus, digeſtionesque promovendæ, quæ finem ſuum obtinebunt, ſi in uſum trahemus eupepta & euchyma, amara abſinthiaca v. g. centauriata, imò & ipſum corticem de peru, ac ſalia lixivialia ac volatilia aromatica; ſi verò vel nimia quantitate cruditatum vel errore curæ ſanguis adhuc glutinoſior, craſſior

&

& viſcidior evadit, ita ut poſtmodum reconvalituri febriculâ perpetuâ ſed lentâ (quæ ex appetitu non debitè redeunte &c. noſcitur) conficitur, huic optimè ſuccurrimus ſale armoniaco &c plura ſcrutare in priori ſect: 2. de febribus continuis c. 2. §. 2do de febre hectica ſecundaria.

N. 2. *Notandum* inſuper, quòd in Chronicis & vel maximè 4.tana ſæpe tumor aut durities partis cuiusdam enaſcatur, qui vel dolore gravativo moleſtus, vel tactu deprehendi poteſt & vel ſcyrrhus lienis, hepatis, colli &c emergit, placentaque febrilis intitulatur; hîc perbenè attendendum, an ſecretiones animales ſuccedant; in hoc caſu martialia die intermiſſionis aut febre profligata cottidie (modò ſcyrrhus non nimium inveteraverit) cum amaris miſta & antifebrilibus competunt; externè autem apponantur Emplaſtra Reſolventia in noſtro campo Elyſio c. 5. §. 3. Regni vegetabilis & alibi ſufficienter propoſita. Si *colica convulſiva*, quæ etiam paræſin parere poteſt, inſequitur(quod ex graviori abdominis, præſertim hypogaſtrji dolore lancinante & inſigniter gravativo cum retractione umbilici interiora verſus & pertinaciſſima alvi obſtructione cognoſcitur)tum proſunt carminativa, volatilia aromatica, opiata &c; ſedatô paroxyſmô infuſum vel potius decoctum lene paſſulatum optimè conducit, & tandem, ut ſupra, in uſu abſinthiacorum & amarorum aliquandiu perſiſtendum.

Si denique partes ſulphureæ ex ſanguine per glandulas hepatis non ritè ſecernantur, ſed potiùs in ſanguine fluitent, eiùsque ſero intimius adunantur, tum depravatur partium omnium nutritio, corpùsque quoad qualitatem coloris immutatur nempe flaveſcit, & *icterus* generatur, in hoc præprimis ad digeſtionem primam promovendam, ductum cholidochum aperiendum, & partes ſulphureas è maſſa ſanguinea eliminandas invitamur, qualia ſunt omnia amara v. g. Decoctum amarum Anglorum, item meum Decoctum ſolare, item aperitiva etiam chalybeata, ſalia volatilia ac diuretica. Siſtimus gradum; faxit Maxumus IEHOVA, ut doctrina hæc de febribus intermittentibus juxta claram methodum tradita ad inexplicabilem æternæ beatitudinis claritatem nos perducat, & ſic beatum conſequamur.

F I N E M.

ELENCHUS

C. denotat Caput, §. Paragraphum, N. Numerum.

A.	C	§.	N.
Acceſsiones ut anticipent, vel poſtponantur	1	12	—
Acidæ particulæ dividunt	1	11	2
Aeſtûs febrilis definitio	1	11	2
— — *Motu locali minutiarum peragitur*	1	11	2
— — *Signa*	1	4	—
— — *Symptomata*	1	5	—
— — — *explicantur*	1	11	2
— *um quæ intendant & augeant*	1	11	2
Anxietates præcordiorum unde	1	11	1
Annuli cur in rigore ex digitis decidant	1	11	1
Appetitus cur proſternatur	1	11	2
Apyrexia quid	1	1	—
Arbor gannaperide qualis ſit	4	2	5
C			
Cachexiæ poſt febres unde oriantur	1	11	2
Cauſa febrium formalis ſunt ſpiritus	1	7	—
— — *materialis eſt chyli portio crudior & acida*	1	7	1
— *æ* — *remotiores internæ*	1	10	1
— — *externæ*	1	10	1
— — *diatheſin excitantes*	1	10	4
— — *neceſſariæ naturales*	1	10	5
Computatio quæ in febribus facienda	2	5	2
Colica convulſiva poſt has febres ut tractanda	4	5	2

K Cortex

	C.	§.	N.
Cortex peruvianus, chinachina dictus unde, & virtus quæ	4	2	5
Cutis anſerina unde proveniat — —	1	11	1
D			
Declinatio febrium quando accidat — —	1	11	—
Deliria unde proveniant — —	1	11	2
Deliquia animi in æſtu febrili quomodo proveniant	1	11	2
Diæta quæ conveniat in paroxyſmo —	4	1	8
— — extra paroxyſmum —	4	2	14
Diaphoretica ſunt optima — — —	4	2	9
Diatheſis febrilis quomodo diu latere poſſit —	1	9	5
Diuretica quid conferant — — —	4	2	10
Dolor capitis & pulſatio unde — —	1	11	2
— ut curetur — —	4	4	2
— inteſtinorum varius unde — —	1	11	1
F.			
Febris Etymologia — —	1	1	—
— intermittens unde dicatur — —	1	1	—
— — in genere triplex eſt — —	1	6	—
— — triplex iſta eſt vel duplex vel triplex	1	6	—
— — exquiſita vel notha —	2	1	4
— — anomala multiplex —	1	6	—
— — — — item	3	1	&c
— — — — — cura	4	4	3
— tis cauſa formalis —	1	8	—
— — materialis —	1	8	1
— — — remotior interna —	1	10	1
— — procatarctica varia —	1	10	1
— — naturalis varia —	1	10	5
— — definitio —	1	2	—
— — — diagnoſis futuræ & præſentis	1	2	—
— — prognoſis — —	1	13	—
— — — ſubiectum inhæſionis —	1	7	—

	C.	§.	N.
— — — radicationis —	1	7	—
— — hæmicranica —	3	22	—
— — maligna —	3	22	—
— — — — ut curetur —	4	5	—
— — omnis eſt morbus intemperiei	1	5	2
— — Quartana — —	1	6	—
— — æ cauſa materialis & remota	2	4	6
— — — procatarctica varia	2	4	6
— — — naturalis —	2	4	6
— — — æ ſymptomatum	2	4	7
— — prognoſis — —	2	4	8
— — — ſigna Diagnoſtica —	2	4	2
— — curam vide in indicationibus	—	—	—
— — Quotidiana — — —	1	6	—
— — — quid — —	2	3	1
— — — æ cauſa materialis —	2	3	6
— — — æ naturales —	2	3	6
— — — æ procatarcticæ —	2	3	6
— — — — ſymptomatum —	2	3	7
— diagnoſis — —	2	3	2
— — prognoſis — —	2	3	8
— — — curam vide in indicationibus.	—	—	—
— — — Tertiana — —	1	6	—
— — autummalis quid —	2	1	1
— — æ — cauſa materialis	2	1	6
— — — — — naturalis	2	1	6
— — — — — æ ſymptomatũ	2	1	7
— — — — diagnoſis —	2	1	2
— — — differt â vernali	2	1	4
— — — — prognoſis —	2	1	8
— — — — curã dant indicationes	—	—	—

	C.	§.	N.
— — — æ Vernalis cum diagnoſi	2	2	—
— — — — cauſa eſt cruditas non bilis	2	2	6
— — — æ ſymptomatum	2	2	7
— — — — prognoſis	2	2	1
Fermentum & fermentatio quid	1	10	2
Frigus quid, & unde ſentiatur	1	11	1
H.			
Horror quid	1	11	1
I.			
Iactatio & inquietudo corporis unde	1	11	2
Indicationes Generales quadruplices	1	14	—
— curatoria particularis quæ	4	1	1
— — ratione temporum	4	1	3
— præſeruatoria	4	2	1
— ſymptomatica	4	4	1
— Vitalis	4	3	1
— febrium anomalarum	4	4	3
— — malignarum intermittentium	4	4	24
Inſomnia unde	1	11	2
de intermiſſionibus febrium quibuſcunque	1	12	—
L.			
Lacrymæ involuntariæ unde procedant	1	11	1
Lingua unde areſcat & ſcabra fiat	1	11	2
M.			
Materia febrilis eſt acida	1	8	1
— — quomodo aceſcat	1	9	1
— ubi aceſcat	1	9	2
— — differt à pituita	1	7	2
— triplicem habet conditionem & ſtatum	2	5	1
— — ei antidotus eſt opponenda	4	2	5

	C.	§.	N.
Medicamenta externa in febre	4	1	7
— — — *item*	4	2	12
— — *orum antifebrilium formale ſeu uſus*	4	2	6
Mixtio ſanguinis turbata in quo conſiſtat	1	11	2
Mobile in æſtu	1	11	2
Motus localis quomodo fiat	1	11	—
Movens in æſtu quale	1	11	2
Multiplicatio febrium unde oriatur	2	5	1
N.			
Naſi ſtillicidium unde oriatur	1	11	1
O.			
Oleoſa æſtuantia etiam ſtannum liquant	1	11	2
Opiata ſunt antifebrilia ſed cautè uſurpanda	4	2	4
Oſcitationes unde	1	11	1
P.			
Pallor unde in frigore	1	11	1
Pandiculationes unde — — — *ibidem*	—	—	—
Paroxyſmus quid	1	1	—
— *orum multiplicationes unde*	1	16	—
Periodorum in febribus variatio unde	1	11	—
Prognoſtica duplicia fauſta & infauſta	1	13	1
Pulſus exilior unde	1	11	1
frequentior unde	1	11	2
Purgatio extra paroxyſmum qualis eſſe debeat	4	2	7
— *in paroxyſmo noxia eſt*	4	1	2
R.			
Reſpiratio difficilis & frequentior unde	1	11	1
Rigor quid ſit, ut fiat, eius ſigna & ſymptomata	1	11	1
—*is ſymptomata quæ*	1	4	—

S.

	C.	§.	N.
Salivatio ſeu ptyalismus an febres tollat	4	2	11
Sanguis in ſtatu ſanitatis qualis ſit	1	9	—
— incaleſcit ob ſulphur diviſum	1	11	2
— in quibus caſibus ſulphur perdat aut ſervet	1	9	1
Somnus blandus quomodo poſt æſtum obrepat	1	11	2
Specifica antifebrilia quæ ſint	4	2	3
Sputatio nimia unde	1	11	1
Stupor partium unde	1	11	1
Sudor criticus & ſymptomaticus qualis	1	11	—
— frigidus unde	1	11	1
—quomodo poſt æſtum effluat	1	11	2
— is requiſita quot & qualia	1	11	2
—es ut frigore mox ſupprimantur	1	11	1
Suſpiria unde in febribus	1	11	1

T.

	C.	§.	N.
Tempora paroxyſmorum	1	5	1
Tranſplantatio febris infeliciter ceſſit	4	12	12
Tumores poſt febres ut tractandi	4	5	2

V.

	C.	§.	N.
Venæ ſectio extra febres an indicetur	4	2	13
— in febre quomodo indicetur	4	1	7
Veſicatoria ſalutaris ſunt anchora	4	2	13
Vigiliæ unde	1	11	2
Vomitoria an & quæ conveniant	4	2	8
—us in frigore unde	1	11	1
— in æſtu unde	1	11	2
Vrina in frigore cur copioſa ſit	1	11	1
— æſtu cur coloratior	1	11	2

Sic alludit Nobili ac doctiſsimo Domino Defendenti honoris & amoris Gratiâ.

MArtia bella moues animatus ut alter Achilles,
Eſt opus arte, dolo, belliger hoſtis adeſt.
Caſtra movet fervens, inflammatuſque reſiſtit,
Ægrè ſic felix auſa parata premes.
Sed noſcit Medicus, quid ferveſcentia poſſit.
Hoſtiles leviter qui premit inde manus.
Stes igitur fortis, multùm lux fauſta Valenti,
Una dabit Medico te ſociaſſe choro.

D. Pancratius Schär Philoſ: Magiſter
& SS. Theologiæ Studioſus.

ASCLEPIADEA NOSTRA SCHOLA

Nobili & Doctiſsimo Domino Defendenti ex corde ita aggratulatur.

EDic. prognatum quo Te de Stemmate narrem?
Quam dicam Matrem, quémve fuiſſe Patrem?
Extitit ingenium Pater: Et Genitrice ſuperbis
Curâ: ſedulitas ubera plena dedit.
Ergò quam famam hos de Te Sperare Parentes
Sentis, laude Tuâ Te cumulare decet.
Arma juvent alios: rapiat ſua quemque voluptas;
At Te Pierides ad ſua ſacra vocant.
Ito per effuſas Matrumque virûmque catervas,
Inter plaudentis murmura feſta tubæ.
Jamque Cornanti, Joſeph! ſubmittito dextræ
Dignas, quas decorent Laurea ſerta comas,
Cæptas eia! vias ſic fauſto pergito curſu,
Quà Te ſupremus motor Apollo vocat

Marcus Henricus Pfeiffer M. C.

MAgnum te jactas inſigni ſtemmate *GRESSER*,
Sed magis arte tuâ creſcere, chare, flagras.
Nam tibi non ſatis eſt dici cognomine Major,
Tendis id ingeniô condecorare tuô.
Magnos magna decent, illum majora decebunt,
Aîs, qui Majoris nomen & omen habet.
Febres aggrederis, litem propellere tentas,
Et veteres omnes unus in arma vocas.
Ardua ſed tentas, vincunt aſt ardua tantum,
Nec petitur molli, lausque Decusque viâ.
Eſt tamen audendum, fortes Fortuna juvabit,
Aut tantum in tantis, & voluiſſe ſat eſt.
Macte animi, Theſium ſinuoſa objecta repugna,
Ingenijque tui, laurea major erit.
Magnificoſque Viros expectes, armaque Victor,
Subque Magiſtro ſtent prælia tuta tuo.

Pro Teſſera hac
Sincera Manu appoſuit
Joan. Georgius Steinegger VVilenſis
Helvetus Medicinæ Cand. &c.

LItes decidis medicas, es magnus Apollo!
clara probas, reijcis dogmata fuſa ſenum.
Diverſum ſenſére ſenes, quos inclyta Pallas
Multa docet methodis invenienda novis.
Exulat antiquæ Mentis confuſio, noſtris
Principijs cedit victa revicta ſuis.
Excellit Doctrina, novo ſplendore reſurgit,
Aut nova per totum, dicere ſi lubeat.
Continua Studium *non Intermitte*; Docendum
Iſtud adhuc veterum, Noſter Apollo Docet.

Hæc appoſuit
in utroque Collega Studio
Carolus Joſephus Rockh Frawen-
feldenſis

TAm nihil excelſi peperit natura Magiſtra,
Quod non exſuperet, perficiatvè ſophus;
Maxima naturæ ſuperat magnalia ſanè,
Artis Apollineæ quis quis amator erit:
Id docet hæc methodus, quâ non præſtantior ulla eſt;
Quæ natura priùs condidit, hæc reſerat,
Dum tradit invalidos ægri ſine viribus artus
Quâ blandus, tutus, quâ citus arte leves:
Non time, quando febris vehementior arte videtur,
Illa viam facilem porriget, pandet iter.
Jam opto, neſtoreos numeres feliciter annos,
Optima ſpes miſeris, ſolatiumque tuis.

D. Jacobus Joſephus König
VVangenſis Algoius,
philoſophiæ Magiſter & Medicinæ
Studioſus,

HOrrida bella ſonant, minitante laceſſeris hoſte
En rabida expanſi ſpiritus arma petuns,
Tu ne cede minis, ſed contra audentior ito
Namque novâ methodo vincere certus eris.

Ita Joan. Conradus Heffelin
Clignovienſis Heluetus

DOctrinâ labor augetur, Doctrina labore,
Nec venit ignauâ gloria parta manu,
At pretium exhauſti manet immortale laboris,
Fama ſepulchrales prætéritura rogos.
Hoc tua, poſt reliquos, facinus munumenta loquantur,
Hic tu qui adverſo victor ab hoſte redis.
I, nunc magnificis pompam molire trumphis,
Ambiat euictas laurus honora comas.

Ita
Joan. Jac. Franck Ehinganus Suevus
Med. Studioſ.

L

TEmpore ſi nullo lætanter poſcis arenam,
An non in cineres ars tua verſa foret?
Quid, ſi non parvas animo dat gloria vires,
Et fæcunda facit pectora laudis amor?
Nil hinc vel melius nil æquius eſſe videtur,
Quàm nunc ut forti pectore bella geras:
Nam poteris lætum facile ſpectare triumphum,
Te dabit ars Medicum, Nobilitasque virum.

Joann. Henricus
Richenman philoſophiæ
Baccalaureus, Medicinæque
Studioſus

MArtius accendit febrilem Spiritus æſtum
Contra, Materiem quam ſuperare Studet,
Ecce etenim magno pugnant certamine frigus
Atque rigor, fervens quos calor igne fugat;
Tempora tum fervent, ſinus æſtuat, ora fatiſcunt
Ægroti, flagrant viſcera, vena micat;
Spiritus evehitur, lingua ardet, pulmo reſultans
Arida veſani juſſa caloris agit.
Non Servat quoque Vena ſuum, velut antè, tenorem
Facta per incertas irrequieta moras,
Quid memorem, ut rabido vehemens ſitis urgeat æſtu,
Utque hiſcant ſiccâ Pendula labra ſiti.
Iſta Lues noſtrâ tamen eſt ſuperabilis arte,
Hocque valet methodus vincere noſtra malum,
I, properato igitur, promptus largire Salutem,
Securusque ægris, & citus affer opem.

Ita Jo. Joſephus Hungerbyeler &c.